DE TRIBUS LAMINIS AUREIS QUAE IN SEPULCRIS THURINIS SUNT INVENTAE.

Wieten, Jan Hermannus

DE TRIBUS LAMINIS AUREIS QUAE IN SEPULCRIS THURINIS SUNT INVENTAE.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. M. JANSE,

BOT. ET ZOOL. DOCT., IN FACULT. DISC. MATH. ET PHYS. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

JAN HERMANNUS WIETEN,

E PAGO AALSMEER

DIE XIX MENSIS MARTII A. D. MDCCCCXV, HORA IV.

AMSTELODAMI

APUD J. CLAUSEN

MDCCCCXV

PARENTIBUS

PROOEMIUM.

De mystica religione eorum qui antiquitus Italiam Inferiorem habitarunt non ita multum notum erat, donec saeculo superiore aureae laminae ex sepulcris effossae sunt eius regionis quam Graeciam maiorem antiquitas nominavit Omnino sex sunt epistulae sepulcrales, quarum una Peteliae, quinque Thuriis inventae sunt; accedunt tres laminae Creticae et una Romana, quae religionis eiusdem monumenta esse videntur.

His in laminis versus graeci insculpti sunt, quos ediderunt Kaibel, Inscriptiones Graecae XIV; Murray in appendice ad Harrisoniae librum „Prolegomena to the study of Greek Religion"; Comparetti, Laminette Orfiche a. 1910; Diels, Fragmente der Vorsokratiker II^3 a. 1912.

Lamina Petelina legitur . . .	I. G. XIV 638;
„ „ „ . . .	Prolegom. p. 661, n⁰. 1;
„ „ „ . . .	Lam. Orf. p. 32;
„ „ „ . . .	Fr. d. Vors. p. 175, n⁰. 17;
Lamina Romana [1] legitur . .	Prolegom p. 672, n⁰. VIII;
„ „ „ . .	Lam. Orf. p. 43;
„ „ „ [2] . .	Fr. d. Vors. p. 177, n⁰. 19a;
Lamina Thurina prima legitur	I. G. XIV 641, 1;
„ „ „ „ .	Prolegom. p. 668, n⁰. V;
„ „ „ „ .	Lam. Orf. p. 17;
„ „ „ „ .	Fr. d. Vors. p. 176, n⁰. 18;

[1]) L. Romanam Kaibel non edidit.

[2]) cf. Diels Kleinerts Philotesia, a. 1907, p. 39 seq.

Lamina Thurina altera legitur	I. G. XIV 641, 2;
,, ,, ,, ,,	Prolegom. p. 669, n⁰. VI;
,, ,, ,, ,,	Lam. Orf. p. 21;
,, ,, ,, ,,	Fr. d. Vors, p. 176, n⁰. 19;
,, ,, tertia, quae alteri fere similis est, legitur[1] . .	I. G. XIV 641, 3;
Lamina Thurina tertia legitur	Prolegom. p. 669, n⁰. VII;
,, ,, ,, ,,	Lam. Orf. p. 19;
,, ,, quarta ,,	I. G. XIV 642;
,, ,, ,, ,,	Prolegom. p. 663, n⁰. III;
,, ,, ,, ,,	Lam. Orf. p. 6;
,, ,, ,, ,,	Fr. d. Vors. p. 481, n⁰. 20;
,, ,, quinta, quam Kaibel non edidit, legitur .	Prolegom. p. 665, n⁰. IV;
Lamina Thurina quinta legitur	Lam. Orf. p. 12;
,, ,, ,, ,, [2]	Fr. d. Vors. p. 481-82, n⁰. 21

Laminas Creticas, Eleuthernis inventas[3], tres inter se similes Kaibel non edidit, Murray l. l. p. 661-662, n⁰. II, Comparetti l. l. p. 37, Diels l. l. p. 176, n⁰. 17a. Quarum editionum e numero Dielsii illa longe accuratissima est; quam ob causam infra versus affero ex eius editione; laminarum autem imaginibus phototypicis usus sum, quas Comparetti in lucem emisit.

Propositum mihi est agere de lamina Thurina prima, altera, tertia; alias tantum in disputationem attraham, quoad recta trium illarum interpretatio postulat.

Tres laminas anno 1880 prope vicum qui hodie dicitur

---

1) Quam ob causam Diels eam non edidit.

2) cf. Diels „Orphischer Demeterhymnus", Festschrift f. Gomperz, p. 1 seq.

3) Primus M. Joubin, Bulletin de Correspondance Hell. XVII p. 121, edidit.

Corigliano inventas Fiorelli a Barnabeo et Comparettio adiutus primus edidit, Notizie degli scavi d'antichità, Gennaio 1880 p. 152, tab. VI, 1-3, = Atti della R. Academia dei Lincei anno CCLXXVIII (1879-1880), Serie III, Memorie della classe di scienze morali, storiche e filologiche, vol. V, p. 400 seq., tab. IIIa, 1-3.

Praeter alios, quos supra enumeravi, versus tribus his laminis inscriptos ediderunt:

Hofmann et Collitz, Dialekt Inschrift. 1654 = Hofmann, Sylloge Epigrammatum 418; A. Dieterich, De Hymnis Orphicis, IV, „De Hymno quodam Orphico Pythagoreo", p. 30 seq. = Kleine Schriften p. 91-100; L. Radermacher, Rhein. Museum für Philol., Neue Folge, LXVII Band, p. 472 seq. „Orphica".

Carmen in prima l. Thurina inscriptum litera A, quod in altera litera B, quod in tertia litera C notamus. B et C inter se similia sunt. Duo igitur carmina in tribus laminis leguntur, quae sunt, A:

ἔρχομαι ἐκ κοθαρῶ[ν] κοθαρά χθονί[ων] βασίλεια,
Εὐκλῆς, Εὐβουλεύς τε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι·
καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν.
ἀλλά με Μοῖρ(α) ἐδάμασσε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
[• • •] καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνόν.
κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυπενθέος ἀργαλέοιο
ἱμερτοῦ δ' ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι,
Δεσποίνας δ(ὲ) ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας.
(9 = 7)
'ὄλβιε καὶ μακαριστέ, θεὸς δ' ἔσῃ ἀντὶ βροτοῖο.'
ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον.

et B = C:

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν<χθονίων>καθαρά, χθονίων βασίλεια.
Εὖκλε καὶ Εὐβουλεῦ καὶ [ὅσοι] θεοὶ δαίμονες ἄλλοι·
καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος εὔχομαι ὄλβιον εἶναι,
ποινὰν δ' ἀνταπέτεισ(α) ἔργων ἕνεκ(α) οὔτι δικαίων
εἴτε με Μοῖρ(α) ἐδαμάσατο (?) [· · ·
· · ·] *στεροπῆτι κεραυνῷ.*
νῦν δ' ἱκέτι[ς ἥ]κω παρ' ἀγαυὴν Φερσεφόνειαν,
ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας εἰς εὐαγε[όν]τω[ν].

E duobus carminibus apparet olim in Graecia maiore mysteria celebrata esse et thiasotas sive mystas tres praecipue deos coluisse, q. n. *Φερσεφόνεια, Εὐκλῆς, Εὐβουλεύς.*

Quaerere iam volo quinam hi dei fuerint, a quibus hominibus, quo modo culti sint.

CAPUT I.

De more quodam Pythagoreo.

§ 1. *De origine mysteriorum quae in Graecia maiore sunt facta.*

Pauca quaedam de mysteriorum quae in Graecia maiore facta sunt origine praemittenda sunt. In Italia enim meridionali κοινόβια Pythagorea olim floruerant, quae vi quidem repressa sunt, sed Orphicorum sodaliciorum specie perdurasse videntur; de quibus Dieterich [1]) in commentatione „de hymno quodam Orphico Pythagoreo" hunc in modum disputavit: „postquam Pythagoras religionis paene novae antistes et auctor in Italiam inferiorem demigravit et per multa oppida suum τοῦ βίου τρόπον propagavit . . . paullo post Orphicorum placita atque effata ad Pythagoreos translata et utramque doctrinam plane commixtam esse scimus. Iam vero sodalicia Orphica Pythagorea permulta in illa terra instituta sunt. Ecce, hodie illorum hominum versus prodiere e sepulcris Thurinis et Petelinis".

Ab hac sententia haud ita multum differt Gruppii opinio, [2]) qui coniecit Crotone sexto saeculo a. Chr. gentem quamdam ab Orpheo originem trahentem viguisse exque

---

[1]) Dieterich, Kl. Schr. p. 91.

[2]) Gruppe in Roscheri lexico s. v. Orpheus, p. 1100-1108.

huius gentis cultu Orphico thiasos Pythagoreos, Orphicos, Bacchicos ortos esse. Quam sententiam hisce verbis comprehendit: „Es ist möglich, wenn auch nicht erweislich, dass bereits zur Zeit des Pythagoras in Kroton, in dessen Nachbarschaft später orphisierende Verse den Mitgliedern einer Mysteriengemeinde mit ins Grab gegeben werden, der Gentilverband zu einem Thiasos erweitert oder nach seinem Erlöschen durch einen θίασος ersetzt war." Longe autem aliter Maass[1]) iudicat qui κοινόβια Pythagorea et thiasos Dionysios distinguenda esse censet; quod hunc in modum exponit: „Nun tobten in denselben unteritalischen Gegenden, welche die Pythagoreïschen Vereinigungen blühen sahen, die dionysischen Thiasoi. Wer wird wagen, die Jünger des Pythagoras mit dieser Form dionysischer Orphik zu behelligen? Sie passt zu ihnen so wenig wie zu den Christen ... Philochoros, ein Kenner seiner heimischen Religion wie wenige, sagt Fr. 21 M (Athen. XIV p. 628 A): wenn man spendet, besingt man 'τὸν μὲν Διόνυσον ἐν οἴνωι καὶ μέθηι, τὸν δ' Ἀπόλλωνα μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως'. Ein solches Zeugnis genügt, die ganze Frage endgültig zu entscheiden". Idem in mentem nobis revocat Phintin,[2]) philosopham Pythagoream primo saeculo a. Ch. n., feminas in libro c. t. Περὶ γυναικὸς σωφροσύνας admonuisse μὴ χρῆσθαι τοῖς ὀργιασμοῖς καὶ μητρωασμοῖς et edixisse μέθας καὶ ἐκστάσιας ψυχᾶς utique fugiendas esse. Ergo Maass concludit in Italia inferiore alios Bacchum per orgia coluisse, alios Pythagoreos exstatica Dionysi et deorum

---

[1]) Ernst Maass, Orpheus p. 163-64. quem Furtwängler (Die ant. Gemm. III p. 256) laudat.

[2]) Stob. Flor. 61, III p. 64 M et p. 65.

Matris Magnae sacra abominatos Apollinem, Musas, Sophrosynen tranquilliore modo veneratos esse.

Iam videmus in quanta sententiarum discrepantia viri docti versentur; quam ob causam nobis quaerentibus quid sit de horum mysteriorum origine iudicandum metuentibusque ne temere rei vel falsae vel non satis cognitae fidem habeamus, faciendum videtur ut iudicium contineamus et laminas aureas suam causam agentes inducamus.

Tamen hoc unum statim observatum volo, antiquissimo iam tempore Orphica, Pythagorea, Bacchica sacra non facile distingui posse; ad notissimum Herodoti[1]) locum relegare possum: *οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα οὐδὲ συγκαταθάπτεται· οὐ γὰρ ὅσιον· ὁμολογέουσι δὲ ταῦτα τοῖσι Ὀρφικοῖσι καλεομένοισι καὶ Βακχικοῖσι, ἐοῦσι δὲ Αἰγυπτίοισι καὶ Πυθαγορείοισιν.* Quem locum Rohde[1]) optime hunc in modum interpretatus est: „Es ist nicht zu bezweifeln, dass Herodot mit diesen Worten die *Ὀρφικά* und *Βακχικά* (die vier Dative sind sämmtlich neutrius gen., nicht masculini) herleiten will von den *Αἰγύπτια* und *Πυθαγόρεια*, d. h. den selbst aus Aegypten entlehnten Pythagoreïschen Satzungen . . . Herodot denkt nicht daran O. und B. als generisch verschieden hinzustellen; B. ist Bezeichnung des genus, aus dem O. ein species ist: die *Ὀρφικά* und überhaupt die *Βακχικά*. Nicht alle B. sind auch *Ὀρφικά*". Qua egregia interpretatione sententia quam Maass[3]) professus est in libro cui titulus „Orpheus", refellitur. Cuius miram et inauditam interpretationem post Rohdium

---

1) Herod. II, 81.

2) Rohde, Psyche⁶ II 107¹.

3) Maass, Orpheus, p. 165 seq.

et Gruppium[1]) me quoque tractare nihil iam opus est. Nodum enim in scirpo iste vir doctus quaesivit ut discrimen aliquod inter Orphica et Bacchica sacra ab Herodoto agnitum esse fingeret. Rogat enim: „Warum ist es nicht möglich alle drei Begriffe so zu coordinieren, dass 1) Orphische 2) Bakchische 3) Pythagoreïsche Satzungen herauskommen, wobei nebenher und mehr parenthetisch (wir würden eine Anmerkung machen) die B. als ihrer letzten Herkunft nach ägyptisch bezeichnet werden". Quod neque per Herodotum licere Rohde docuit: „denn dies eben, dass, wie so vieles anderes, die heilige Sitte, die er erwähnt, in Griechenland, wo immer sie dort auftritt, aus Aegypten entlehnt sei, „ägyptisch" sei, zu behaupten, ist bei seiner ganzen Anmerkung Herodots einzige Absicht, die er ganz verfehlen würde, wenn er die *'Ορφικά* (und dann auch die *Πυθαγόρεια*) nicht auch als *Αἰγύπτια ἐόντα* ansähe und bezeichnete", neque per grammaticam licere Gruppe adnotavit: „Die Erklärung von Maass reisst die offenbar korrespondierenden Begriffe *καλεομένοισι* und *ἐοῦσι δὲ* auseinander und nimmt dadurch zugleich diesem letzteren den notwendigen Gegensatz". Neque Melampus ille scrupulum nobis inicit quem Herodotus alibi (L. II c. 49) dixit *ἀπ' Αἰγύπτου ἄλλα τε πολλὰ ἐσηγήσασθαι Ἕλλησι καὶ τὰ περὶ τὸν Διόνυσον.* Egregie enim de hac quaestione Gruppe iudicat: „Der Widerspruch zu Hdt. 2, 49 ist nicht unlöslich, da Hdt., der die Dionysos-mysteriën für aegyptisch hält, sehr wohl angenommen haben kann, und auch aller Wahrscheinlichkeit nach angenommen hat, dass Melampus die

---

[1]) Gruppe, in Roscheri lexico s. v. Orpheus, p. 1110.

Dionysische Phallophorie, Pythagoras dagegen die auf O. zurückgeführte Leinentracht aus Aegypten mitgebracht habe" et Melampi quidem nomen parvi momenti habendum esse censeo, quia, ut Herodotus testatur,[1]) Melampus non ipse πάντα τὸν λόγον ἔφηνε· ἀλλ' οἱ ἐπιγενόμενοι τούτῳ σοφισταὶ μεζόνως ἐξέφηναν.

Herodoti loco bene perspecto videmus Pythagorea, Orphica, Bacchica sacra non facile inter se distingui posse si in universum agitur; sed si singulatim in Italiae meridionalis sacra inquirimus, accuratius considerandum est, quo iure aliquis ista sodalicia non a Baccho et Orpheo solum sed etiam a Pythagora nominare possit. Nunc igitur audiamus quid ipsae laminae pro se testentur.

§ 2. *De more quodam Pythagoreo.*

Nihilne intellegitur ex eo ipso, quod laminae mortuorum in manibus inventae sunt? Hoc, nisi fallor, discimus, sodales Pythagoreum morem celebrare perrexisse. Eum dico morem quem Diodorus[2]) apud Galatas quoque viguisse hunc in modum rettulit: ἐνισχύει γὰρ παρ' αὐτοῖς (Galatis) ὁ Πυθαγόρου λόγος .ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμβέβηκε καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης. Διὸ καὶ κατὰ τὰς ταφὰς τῶν τετελευτηκότων ἐνίους ἐπιστολὰς γεγραμμένας τοῖς οἰκείοις τετελευτηκόσιν ἐμβάλλειν εἰς τὴν πυράν, ὡς τῶν τετελευτηκότων ἀναγνωσομένων ταύτας. Quo de loco Maass[3]) scripsit: „diese

---

[1]) Herod. II c. 49 initio.

[2]) Diodorus l. V, c. 28.

[3]) Maass, l. l. p. 161[59].

Brieftäfelchen an die Angehörigen im Jenseits finden in den Goldplättchen von Thurii und Petelia, pythagoreisch-orphischen Gegenden, Parallelen, da diese Anweisungen an den Verstorbenen, was sie vor der Hadesherrin zu sagen, wohin sie in die Unterwelt sich zu wenden hätten, u. s. w. zu enthalten pflegten".

Recte quidem ille Italiae inferioris laminas cum Galatarum literis sepulcralibus contulit, sed eidem non astipulor iudicanti hunc epistularum morem ab Orphicis profectum esse; quamquam idem recte observavit Lehrsium errasse, qui in laminis aureis nonnulla Aegyptiaca legi contenderit. Mihi enim persuasum est literarum sepulcralium morem neque ex Aegyptiorum usu deductum esse neque Orphicis deberi. Quod ut demonstrem, prius de laminarum et Aegyptiaci Mortuorum Libri similitudine, deinde de Pythagoreorum ritibus sepulcralibus agere volo.

A. *De laminarum et Aegyptiaci Mortuorum Libri similitudine.*

Dieterich[1]) de versibus Petelinis scripsit haec „via animi descendentis describitur et quasi itinerarium Orci mortuis traditur. Summa est similitudo argumenti inter illa et ea quae insunt in libris sepulcralibus (vocari solent Totenbuch) Aegyptiorum. Sed me ipse cohibeo. Pythagorei item atque Aegyptii corpora inhumata servari voluerunt, non igne deleri". Dolemus quod Dieterich istam „summam argumenti similitudinem" non demonstravit et inquirere

---

[1]) Dieterich, Kleine Schriften, p. 100[4].

volumus quaenam ea fuerit. Videmus enim hanc sententiam interpretibus iusto festinantius iudicantibus nimium placuisse; quorum e numero Harrisoniam statim nomino, quae[1]) cum formula *ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά* a qua quattuor laminae incipiunt, verba quaedam contulit in Aegyptiaco Mortuorum Libro scripta hunc in modum: In like fashion in the Egyptian book of the Dead (n⁰ CXXV) after the long negative confession made to Osiris, the soul says 'I am pure', 'I am pure', 'I am pure', 'I am pure'. Nos autem intellegimus Graecos Aegyptiorum exemplum non secutos esse; Aegyptii enim iterum atque iterum repetere solebant verba, quae thiasotae semel tantum literis mandanda curaverunt, et formula Graeca plus quam affirmationem Aegyptiacam complectitur. Aliud igitur istius „summae argumenti similitudinis" exemplum quaerimus.

Lehrs [2]) cum inscriptione Petelina, cuius v. 5 et 9 a

---

[1]) Harrison, Prol. p. 589.

[2]) Lehrs Populäre Aufs. p. 347: carmen Petelinum edidit Diels l.l. hunc in modum:

*εὑρήσεις**) *δ' Ἀΐδαο δόμων ἐπ' ἀριστερὰ κρήνην,*
παρ' δ' αὐτῇ λευκὴν ἑστηκυῖαν κυπάρισσον.
ταύτης τῆς κρήνης μηδὲ σχεδὸν ἐμπελάσειας.
εὑρήσεις δ' ἑτέραν, τῆς Μνημοσύνης ἀπὸ λίμνης
ψυχρὸν ὕδωρ προρέον· φύλακες δ' ἐπίπροσθεν ἔασιν.
εἰπεῖν· Γῆς παῖς εἰμι καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
αὐτὰρ ἐμοὶ γένος οὐράνιον· τόδε δ' ἴστε καὶ αὐτοί.
δίψῃ δ' εἰμ'(ί) αὔη καὶ ἀπόλλυμαι· ἀλλὰ δότ' αἶψα
ψυχρὸν ὕδωρ προρέον τῆς Μνημοσύνης ἀπὸ λίμνης.'
καὐ[τοί σο]ι δώσουσι πιεῖν θείης ἀπ[ὸ κρήν]ης,
καὶ τότ' ἔπειτ' ἄ[λλοισι μεθ'] ἡρώεσσιν ἀνάξεις.

et adnotavit: Folgen drei verstümmelte Verse, in denen *θανεῖσθ[αι]*, *τόδ' ἔγραψ[α]* und am Schluss *σκότος ἀμφικαλύψας* lesbar sind

*) v. 1. *εὑρήσεις*, Göttling, Kaibel — *εὑρήσσεις*, Comparetti, Diels.

verbis ψυχρὸν ὕδωρ incipiunt, titulum sepulcralem C. I. G. 6562 contulit qui Romae [1]) inventus est:

Θ (εοῖς) κ(αταχθονίοις)
Αὐρηλίᾳ Προσόδῳ Διοσκουρίδης ἀνὴρ
τῇ ἑαυτοῦ συνβίῳ χρηστοτάτῃ
καὶ γλυκυτάτῃ μν(ε)ίας χάριν.
εὐψύχει, κυρία, καὶ δοίη σοι
ὁ Ὄσιρις τὸ ψυχρὸν ὕδωρ.
ἐποίησε ἑαυτῷ καὶ ἀπελευθέρων ἀπελευθέροις

Sors autem sic voluit ut, cum carmen Petelinum inveniretur, in omni hac lamina nullae literae legi possent praeter illud ψυχρὸν ὕδωρ bis versus initio positum. Quod Raoul-Rochette coniecit partem versus esse:

Ὁ Ὄσιρις δοίη σοι τὸ ψυχρὸν ὕδωρ.

En eius verba quae scripsit in „Mémoires de l'academie royale des Inscriptions et Belles-Lettres" anni 1836, p. 577. „Les seules paroles que j'ai pu y reconnaître à la première vue sont les mots ψυχρὸν ὕδωρ, qui doivent appartenir à la formule funéraire: Ὁ Ὄσιρις δοίη σοι τὸ ψυχρὸν ὕδωρ, ou du moins se rapporter à une intention équivalente (Anal. III 310 ψυχρὸν ὕδωρ δοίη σοι ἄναξ ἐνέρων Ἀιδωνεύς cf. Jacobs Animadv. XII 316, 37; Alexid. apud Athen. VIII, 336 F. tom. III pag. 241, Schw. ψύξει σ'ὁ δαίμων) et si cette coniecture se confirme, il

[1]) cf. Cumont, Die Orientalischen Religionen im Römischen Heidentum p. 276, qui has inscriptiones adnumerat: Δοίη σοι ὁ Ὄσιρις τὸ ψυχρὸν ὕδωρ, Romae: Kaibel Inscr. Gr. XIV 1488, 1795, 1782, 1842; cf. 658 et C. I. L. VI, 3, 20616 — Σοὶ δὲ Ὀσειρίδος ἁγνὸν ὕδωρ Εἶσις χαρίσαιτο, Revue Archéol. 1887, p. 199 cf. p. 201 — ψυχῇ διψώσῃ ψυχρὸν ὕδωρ μετάδος C. I. G. 6267 = Kaibel 1890; cf. Boeke, Adnotationes ad L. Apuleii Metamorphoseon librum XI, Amstelodami, 1899, p. 7 seq.; Dieterich, Nekyia p. 95 seq.; Harrison, Proleg. p. 576 seq.

résultera de la présence de cette formule, et sans doute de celle d' idées analogues qui l'accompagnent sur la plaque d'or dont il s'agit, . . . une probabilité nouvelle pour les rapports de fait et d'intention que j'ai cru pouvoir établir entre les rituels funéraires egyptiens, d'une part, et de l'autre, les plaques ou fouilles d'or, avec des inscriptions grecques et étrusques."

Profecto concedendum est tunc temporis talem coniecturam probabilem fuisse, cum e tota lamina sola duo ista verba ψυχρὸν ὕδωρ nota essent. Eodem autem anno quo Raoul-Rochette hanc coniecturam proposuit, G. Franz in „Bullettino dell' Instituto di Correspondenza Archaeologica per l'anno 1836" p. 149/150 nostram inscriptionem edidit; qui eam melius legerat et iam investigaverat hic non de Osiridis sed de Mnemosynae aqua frigida agi. Sed quid quod Voight in Roscheri Lexico s. v. Isis p. 398 inter Isidis in Italia meridionali cultus monumenta nos ad istam Raoul-Rochettei coniecturam relegat. At in carmine Petelino nullus Osiris nominatur neque est cur sumatur hoc carmen cultum Aegyptiacum referre.

Longe autem aliter M. P. Foucart iudicat qui carmen Orphicum ritus et praecepta sepulcralia continens quondam exstitisse conicit; cui utrum Κατάβασις εἰς Ἅιδου titulus fuerit necne in incerto relinquit, sed pro certo affirmat ex isto opere versus laminis inscriptos desumptos esse. His igitur in laminis legi dicit [1]) „un rituel contenant des instructions analogues à celles du Livre des Morts et aux révélations d'Eleusis"[2]) et „la copie ou les

---

[1]) M. P. Foucart, Recherches sur l'origine et la nature des mystères d'Éleusis, p. 67.

[2]) M. P. Foucart, l.l. p. 72 et 68.

extraits d'un rituel funéraire, inspiré par le Livre des Morts égyptien." Idem versuum Petelinorum originem facile agnosci posse affirmat hunc in modum: „l'origine égyptienne est facile à reconnaître. La soif étant le tourment le plus redouté de l'âme du mort égyptien." Qua de sententia Diels recte hoc tulit iudicium[1]): „Die Analogie der aegyptischen Totenbücher, die Foucart heranzieht, ist auch nur entfernt vergleichbar."

Sic Foucart in eum errorem incidit ad quem Lehrs viam muniverat; eandem autem incudem quam Foucart, F. Cumont quoque tutudit. Qui aliam causam attulit ob quam Foucartii sententiam probandam esse censet; cuius haec sunt verba[2]): „ich trage kein Bedenken, mit Foucart anzunehmen, dass ägyptische Vorstellungen seit dem 4-3 Jahrhundert in den süditalienischen Orphismus einzudringen vermochten, weil man sie hundert Jahre früher in Carpentras zum Ausdruck gebracht findet...

---

1) Diels, Philotesia für Paul Kleinert (a 1907) p. 43[4].

2) Cumont, Les Religions Orientales dans le Paganisme Romain[2]. Die Orientalischen Religionen im Römischen Heidentum, autorisierte Deutsche Ausgabe von Georg Gehrich, 1910, p. 276, n. 89 et 90. Cum neque editio altera, quam Cumont curavit, mihi praesto sit, neque Cumont in editione priore (a. 1906) hanc causam attulerit, mihi concedas ut versionem Germanicam proferam; Gehrichium enim aliquid de suo finxisse veri simile non est. Ceterum cf. Cumont, p. 272, n. 21: „La diffusion trés ancienne de l'orphisme attestée par les tablettes de Sybaris et de Petilia, dut lui (Isidis Serapidisque cultui) préparer les voies. Ces tablettes offrent beaucoup de points de contact avec les croyances eschatologiques de l'Egypte ... Les mystères d'Isis et de Sérapis semblèrent apporter une révélation depuis longtemps présentie et l'affirmation d'une vérité présagée par d'anciens symboles." Cf. etiam Harrison, Prol. p. 577: „Lethe and Mnemosyne are, I think, Greek developments from the neutral fonds of Egypt, and developments due to the influence of Orpheus."

Besonders interessant ist die Feststellung, dass beinahe derselbe Wunsch bereits auf der aramäischen Stele von Carpentras erscheint (C. I. Sem. II 141) die aus dem 5-4 Jahrhundert v. Chr. datiert: Gesegnet seist Du, nimm Wasser Angesichts des Osiris." Cuius argumenti πειθανάγκη me fugit. Sed faciamus Cumontium verum vidisse. Quis iam intellegere potest quam ob causam Osiridis nomen silentio praetermissum sit ab iis qui huius dei donum optatissimum sibi efflagitarent?

At Italici non ab Osiride, sed Μνημοσύνης e fonte frigidam aquam petiverunt. Cuius Mnemosynae aqua quid sibi voluerit, Graecis quinti iam saeculi a. Ch. non ignotum fuisse credo. In mentem tantum Trophonii cultus revocandus est quem Pausanias L. IX c. 39 fuse descripsit. Quem cultum ut credamus antiquissimum fuisse, Herodotus (L. I c. 46, VIII c. 34) nobis auctor est. Cuius aetate non omnes ritus prorsus eidem ac Pausaniae tempore fortasse fuerunt, sed nulla est causa[1]) cur sumatur Μνημοσύνης ὕδωρ tunc temporis, i. e. saeculo quinto hominibus Trophonio initiandis nondum bibendum fuisse.

Deinde hoc reputate, aqua frigida nihil animo fatigato iucundius esse et semper fuisse. Qua in re homo sui semper similis fuit, sive Osiridis cultor, sive Iudaeus iste qui in Παροιμίαις hoc scribendum curavit (Παρ. 25,25):

ὥσπερ ὕδωρ ψυχρὸν ψυχῇ διψώσῃ προσηνὲς
οὕτως ἀγγελία ἀγαθὴ ἐκ γῆς μακρόθεν

[1]) De Trophonio Dicaearchus, Aristotelis discupulus, librum scripsit cui titulus Κατάβασις εἰς Τροφωνίου (cf. Vilh. Kiaulehn, de scaenico dialogorum apparatu, capita tria, Halis Saxonum, a. 1914 p 170); de Lethe et Mnemosyne scripserunt Harrison, Prol. p. 575-584 et Dieterich, Nekyia p. 90-94, 122.

Hoc enim proverbium, cuius de auctore nihil constat, in animum mortis limen nondum transgressum cadere et ψυχή hic nihil nisi hominem significare videtur;[1]) quam ob causam in exemplo nobis sit, ne Osiridem quaeramus ubicumque aqua frigida nominatur. Praesertim autem Graecis in literis cavendum est ne usque quaque deum aegyptium odoremur; Graecis enim in proverbium abiit istud ἄριστον μὲν ὕδωρ et facile nobis fingere possumus hunc dicendi modum e vita cotidiana in rem sacram tralatum esse. Immo hanc tralationem in carmine Petelino ante oculos videmus: anima enim aquam rogat quae est δίψῃι αὔη.

Quae cum cogito, mihi non dubium esse videtur quin Lehrs, Foucart, Cumont in errore versentur et Diels sequendus sit. Qui scripsit[2]) „ψυχρὸν ὕδωρ findet sich ähnlich seit dem mittleren Reich in aegyptischen Totenbüchern. Vgl. Cumont, Rel. Orientales (Paris 1907) 279[82]. Wie wenig diese im Süden selbstverständliche Metapher auf inneren Zusammenhang zu schliessen berechtigt, beweist die ganz ähnliche Formel der Babylonier, deren Tote sich wünschen in der Unterwelt „klares Wasser" zu trinken. Delitzsch, Babel und Bibel I[5] 72[28]". Videmus igitur nullam causam esse cur sumatur literarum sepulcralium consuetudinem ex Aegyptiorum usu deductam esse.

---

[1]) Gratias ago tibi, clarissime Wensinck, pro epistula in qua haec fere leguntur: De spreuk is zeer algemeen en geeft geen enkel chronologisch aanknoopingspunt.... overigens loopt deze spreuk parallel met 15.30[b], waarvan evenmin de ouderdom op te geven is... De gedachte is even algemeen Oostersch als de uitdrukking

[2]) Diels, Philotesia p. 43[6]; ceterum cf. quae A. Jeremias (Hölle und Paradies bei den Babyloniern p. 21, 32, 41) disputavit de fabulis quas Babylonii de vitalitatis aqua (Wasser des Lebens) finxerunt.

B. *De ritibus sepulcralibus Pythagoreis.*

Iam ad alteram quaestionis partem transimus, ut demonstretur literarum sepulcralium morem Pythagoreum potius quam Orphicum fuisse.

Nullum indicium est ex quo concludi possit Orphicos antiquitus ὁσίως sepultos esse; tria autem de mortuis sepeliendis symbola Pythagorea Iamblichus [1]) tradidit, qui rettulit Pythagoram vetuisse mortuorum corpora comburi, iussisse mortuos albis vestibus indutos sepeliri, edixisse arcis e cypresso factis abstinendum esse; et Plutarchus narravit [2]) fuisse τι γενόμενον ἰδίᾳ περὶ τὰς ταφὰς τῶν Πυθαγορικῶν ὅσιον οὗ μὴ τυχόντες οὐ δοκοῦμεν ἀπέχειν τὸ μακαριστὸν καὶ οἰκεῖον τέλος. Quamquam Plutarchus non rettulit quae facta sint a Pythagoreis qui ὁσίως κεκηδεῦσθαι τὸ Λύσιδος σῶμα voluerunt, Harrison coniecit [3]) in eis, quae erant facienda, etiam literas sepulcrales tradendas fuisse. Quae nos relegat ad Platonis locum [4]), ubi Socrates dicit mortis iter non esse ὡς ὁ Αἰσχύλου Τήλεφος λέγει· ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἁπλῆν οἶμόν φησιν εἰς Ἅιδου φέρειν, ἡ δ' οὔτε μία φαίνεταί μοι εἶναι· οὐδὲ γὰρ ἂν ἡγεμόνων ἔδει· οὐ γάρ πού τις ἂν διαμάρτοι οὐδαμόσε μιᾶς ὁδοῦ οὔσης· νῦν δὲ ἔοικε σχίσεις τε καὶ περιόδους πολλὰς ἔχειν· ἀπὸ τῶν ὁσίων τε καὶ νομίμων τῶν ἐνθάδε τεκμαιρόμενος λέγω.

---

1) Iamblichus, V. P. 154, 155, cf Boehm, de Symbolis Pythagoreis p. 30 seq.

2) Plutarchus, de Genio Socratis, XVI.

3) Harrison, Prolegomena p. 599 et p. 600 „What precisely the ὅσια, the sacrosant rites, were we cannot in detail say, but we may be tolerable sure that something special was done for the man who had been finally initiated, who was like the Cretan mystic ὁσιωθείς, consecrated. This something may have included the burial with his body of tablets with sentences from his 'Book of the Dead'."

4) Plato, Phaedo, 108.

Mihi autem admodum dubium videtur in Lysidis sepulcro literas sepulcrales conditas fuisse et suspicor eum, ita ut M. Varronem [1]) „Pythagorio modo in myrti et oleae atque populi nigrae foliis" sepultum esse. Sed, utut res haec se habet, in confesso sit Pythagoreos antiquitus *ὁσίως* sepultos esse, de Orphicis nihil eiusmodi constare. Deinde Diodori locum supra allatum [2]) in mentem nobis revocamus, ubi legimus Galatas solitos esse *ἐνίους ἐπιστολὰς γεγραμμένας τοῖς οἰκείοις τετελευτηκόσιν ἐμβάλλειν εἰς τὴν πυράν*, idque eos fecisse ex more non Orphicorum, sed Pythagoricorum.

Postremo grave est Iamblichi testimonium [3]), quod demonstrat tales epistulas in Italia non ignotas fuisse. Nam secundum Iamblichum homo nescioquis cum de animorum reditu cum Pythagora certaret dixit *ἐπειδὰν εἰς ᾅδου μέλλῃ καταβαίνειν, πρὸς τὸν πατέρα δώσειν ἐπιστολήν* et iussit *λαβεῖν ἑτέραν, ὅταν ἐπανίῃ παρὰ τοῦ πατρός*.

Iam videmus literarum sepulcralium morem ad Pythagoreos referendum esse, et haec conclusio vix temeraria esse videtur: antiquitus non Orphicorum sed Pythagoreorum moris fuisse, ut literae sepulcrales mortuis traderentur, et nostros thiasotas hac in consuetudine perseverasse.

§ 3. *De Getico Zalmoxis cultu.*

Aliter autem Maass iudicat, qui cum literis a Diodoro commemoratis primo laminas Thurinas Petelinamque, deinde eas literas quas auctores Christiani ab ipso Christo sive a Maria sive ab aliis ad fideles missas esse

1) Plinius, N. H. XXXV, 160.

2) Diod. V. 28; vide supra § 2.

3) Iambl., V. P. c. XXX § 178.

fecerunt, [1]) postremo eam epistulam confert de qua apud Servium ad Verg. Aen. VI 532 legitur „Tiberianus inducit epistulam vento allatam ab antipodibus, quae habet «superi Inferis salutem»." Quam Tiberianum non ad Christianorum imitationem induxisse, sed Christianos talium literarum notitiam a gentilibus mutuatos esse, earumque originem altius repetendam esse quam homini festinantius iudicanti videatur, nempe e sodaliciis Orphicis, arbibratur. Quod si rogamus quam ob causam hanc originem ab Orphicis repetendam esse contendat, unum tantum argumentum Maass affert: „das beweist die Thrakische Parallele [2])." Iam vero relegamur ad morem quendam Getarum qui quinto quoque anno Zalmoxi deo suo nuntium mittere solebant. Quem Getarum Zalmoxis cultum omni ex parte cum Graecorum Orphei cultu congruere, deum Thracium sicut Orpheum ad Inferos descendisse et inde rediisse, mortuum esse et resurrexisse commemorat. Quam ob causam cultum Orphicum quam maxime Getico isto more illustrari putat [3]).

---

[1]) Maass, p. 161 n. 59: „Noch besser passt ein bei christlichen Schriftstellern mehrfach vorkommendes Motiv: Christus oder Maria (Fabricius Codex Apocryphus novi Testamenti, Hamburg 1719 p. 308 sq. cf. Norden, Beilage zur Münchner Allg Zeitung 1893, 107 S. 6[2]) oder eine andere Autorität (z.B. Baruch. vgl. dessen Apokalypse in Fritzsches Libri apocr. vet. Test. p. 699) den Gläubigen Briefe vom Himmel sendend".

[2]) Maass, l.l.: „Aber nicht der heidnische Poet des vierten Jahrhunderts (Tiberianus) hat diesen Zug den Christen (wie Norden meinte), sondern wieder die Christen haben ihn den Heiden abgeborgt. Offenbar reicht er weiter zurück, als es zunächtst den Anschein hat, in die orphischen Kreise; das beweist die Thrakische Parallele."

[3]) Maass, p. 161: „Ich stehe nicht an zu behaupten, dass wir die ursprünglichste Form des orphischen Kultus am reinsten aus seiner Thrakischen Parallele kennen lernen."

Attentius videndum est quid hoc Maassii argumentum valeat; Herodoto duce quaeremus quid Getae illi crediderint. Qui L. IV c. 95 refert Graecos Hellespontum et Pontum incolentes sibi narrasse, Zalmoxim Pythagorae quondam servum fuisse, deinde ad Thraces rediisse, iis inter convivia praecepta de animi immortalitate dedisse, interea *κατάγαιον οἴκημα* faciendum curasse, ibi triennium degisse, quarto anno rursus apparuisse, simulato hoc in vitam reditu factum esse ut homines eius praeceptis magis fidem haberent. Haec fere Graeci illi Herodoto narraverant,[1]) quae ipse historicus non credidit; Zalmoxim enim multis annis ante Pythagoram vixisse opinatur. Graecorum autem de Zalmoxi redivivo narratio in mentem quidem revocat Orphei ad Hadem *κατάβασιν*, sed quid hisce commentis cum ipsorum Getarum cultu atque ritibus commune sit, equidem non intellego. Quos Herodotus L. IV c. 94 hunc in modum descripsit: (*οἱ Γέται*) *ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον· οὔτε ἀποθνήσκειν ἑαυτοὺς νομίζουσι ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν δαίμονα. οἱ δὲ αὐτῶν τοῦτον ὀνομάζουσι Γεβελέϊζιν. διὰ πεντετηρίδος δὲ τὸν πάλῳ λαχόντα αἰεὶ σφέων αὐτῶν ἀποπέμπουσι ἄγγελον παρὰ τὸν Ζάλμοξιν, ἐντελλόμενοι τῶν ἂν ἑκαστότε δέωνται· πέμπουσι δὲ ὧδε· οἱ μὲν αὐτῶν ταχθέντες ἀκόντια τρία ἔχουσι, ἄλλοι δὲ διαλαβόντες τοῦ ἀποπεμπομένου παρὰ τὸν Ζάλμοξιν τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, ἀνακινήσαντες αὐτὸν μετέωρον ῥιπτέουσι ἐς τὰς λόγχας. ἢν μὲν δὴ ἀποθάνῃ ἀναπαρείς, τοῖσι δὲ ἵλεος ὁ θεὸς δοκέει εἶναι· ἢν δὲ μὴ ἀποθάνῃ, αἰτιῶνται αὐτὸν τὸν ἄγγελον, φάμενοί μιν ἄνδρα κακὸν εἶναι, αἰτιησάμενοι δὲ τοῦτον ἄλλον ἀποπέμπουσι· ἐντέλλονται δὲ ἔτι ζῶντι.* Cui loco sic occurri quidem potest, aliud

[1]) Herod. IV, 95; cf. Strabo VIII, 298, qui Zalmoxim in antro degentem fecit (*ἀντρῶδές τι χωρίον*).

esse hominem nuntium ad deum mittere, aliud literas ad Inferos perferendas mortuo dare, sed duas actiones unam indolem redolere, alteram more barbaro magis, alteram in humaniorem formam redactam, ad deorum commercium pertinere. Quarum discrepantiam Maass parvi facere videtur [1]). Mihi autem duae actiones non leviter inter se differre videntur, neque intellego quo modo homo in dei cuiusdam honorem immolatus cum literis sepulcralibus conferri possit.

Deus autem cui Getae humana hostia fecerunt, quemque colentes tonitrua fulminaque telis petere solebant, etiam aliis Thracibus non ignotus fuit; auctor enim Etymologici scripsit s. v. *Ζάμολξις: ἀποθανατίζουσι δὲ καὶ Τερίζοι καὶ Κροβίζοι καὶ τοὺς ἀποθανόντας ὡς Ζάμολξίν φασιν οἴχεσθαι.* Hunc autem, cui barbarorum in modum *πρὸς βροντήν τε καὶ ἀστραπὴν τοξεύοντες ἄνω πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀπειλέουσι τῷ θεῷ οὐδένα ἄλλον θεὸν νομίζοντες εἶναι εἰ μὴ τὸν σφέτερον,* [2]) fulminis tonitrusque deum habuisse videntur. Ergo is fuisse videtur quem Graeci *Κεραυνόν* sive *Διὰ Κεραύνιον* nominare solebant. [3]) Neque est quod miremur Graecos putasse

[1]) Maass p. 160: „Eine Grabessitte der Griechischen Orphiker kennt die Botschaft zwar an die Freunde im Jenseits auch, nur in hellenisch-humaner Form: beschriebene Täfelchen erhält der Verstorbene, der Bote sein soll" etc.

[2]) Herod. l. l.

[3]) Quod Rohde negat qui dativo τῷ θεῷ non Zalmoxim sed coelum tonans (den Himmel bei Gewitter) significari vult et locum hac paraphrasi vertit: „nur den Z. halten die Geten für ein Gott, das Donnernde ist ihnen kein wahrer Gott, (höchstens ein böser Geist oder ein Zauberer u. dgl.); um zu zeigen, dass sie dies nicht fürchten schiessen sie Pfeile dagegen ab, wohl hoffend, so das Gewitter zu brechen". Sed credi vix potest Herodotum sententiam suam scribendo ita obscuravisse ut dativum τῷ θεῷ posuerit pro „Himmel bei Gewitter"; e verbis traditis sat liquide apparet Getas unum tantum

Getas *Κρόνον* coluisse; sic Diogenes Laertius L. VIII § 2 affirmat: *Ζάμολξιν ᾧ Γέται θύουσι, Κρόνον νομίζοντες* et Photius s. v. *Ζάμολξις· Μνασέασ δὲ παρὰ Γέταις τὸν Κρόνον τιμᾶσθαι καὶ καλεῖσθαι Ζάμολξιν.* Barbaros enim qui pro victimis homines immolarent, *Κρόνου* cultores dictos esse a Graecis conicio ob ipsam hanc victimam humanam [1]). Quam ob causam Porphyrius scripserit [2]) Getas Zalmoxim tamquam Herculem coluise non apparet, nisi forte coniciendum est eum hoc tantum significare voluisse, Zalmoxi sicut Herculi humana hostia nonnumquam fieri. Sed re vera

---

deum agnovisse. Ergo fieri non potest quin τῷ θεῷ Zalmoxis significetur; verbum autem ἀπειλεῖν hic non in malam sed in bonam partem accipiendum esse videtur (vertas „deo suo vota faciunt", non „deo minantur"; cf. Hom. Il. XXIII 863). Rohdium unus tantum interpres, M. Kasarov, secutus est (Klio, 1912 p. 355-364); cf. G. Seure, Revue d. Études Grecs, 1913 p. 254 seq.

[1]) Aliam huius tralationis causam Rohde attulit qui scripsit (Psyche II p. 30) „Wenn Mnaseas den Z. dem Kronos gleichsetzt, so liegt die Aenlichkeit der beiden Götter ohne Frage darin, dass beide über den Geisten der Seligen im Jenseits walten". Sed haec similitudo minus insignis mihi esse videtur. Carthaginienses autem Jovi (Κρόνῳ) humana hostia faciebant ita ut caderet εἴς τι χάσμα πλῆρες πυρός et Euripides videtur ἐντεῦθεν εἰληφέναι τὰ μυθολογούμενα παρ' αὐτοῖς περὶ τὴν ἐν Ταύροις θυσίαν, ἐν οἷς εἰσάγει τὴν 'Ιφιγένειαν ὑπὸ τοῦ 'Ορέστου διερωτημένην

Τάφος δὲ ποῖος δέξεταί μ' ὅταν θάνω;
Πῦρ ἱερὸν ἔνδον, χάσμα τ' εὐρωπὸν χθονός

Ad quem Diodori locum (XX, 14; Euripidis sunt versus ex Iphig. Taur. 613 seq.) M. Mayer in Roscheri lexico s. v. Kronos p. 1504 adnotavit: „E. überträgt also die Gebräuche des Phönizischen Kronosdienstes auf die Verhältnisse der Skythen, wohl weil deren Zalmoxis mit Kronos, wahrscheinlich dem griechischen (cf. p. 1481) verwechselt wurde"; cf. Plut. de Superst. 12

[2]) Porphyrius, V. P. § 14: τινὲς δὲ καὶ Θαλῆν τοῦτόν (Zalm.) φασιν ὀνομάζεσθαι· ὡς 'Ηρακλέα δ' αὐτὸν προσκυνοῦσιν οἱ βάρβαροι; de hostiis humanis quibus Herculi fiebat cf. M. Mayer, l.l. p. 1503.

Zalmoxis neque *Κρόνος* neque *Ἡρακλῆς* sed deus *Κεραύνιος* fuit (quem Thraces etiam Zbelsourdum, Getae *Γεβελέϊζιν* appellaverunt) cuius monumenta archaeologi in Thracia invenerunt [1]).

Zalmoxim autem non deum sed hominem fuisse et Pythagorae doctrinam pervulgantem non in Thracia solum sed inter Gallos etiam versatum esse Hippolytus fecit; cuius in Philosophoumenis legitur [2]) *Ζάμολξις ὃς καὶ τοὺς παρὰ Κελτοῖς Δρυίδας λέγεται διδάξαι τὴν Πυθαγόρειον φιλοσοφίαν* quocum consentit Iamblichi testimonium, qui narrat [3]) Zamolxim Pythagorae praecepta tradidisse *τὴν ψυχὴν ἀθάνατον εἶναι πείσαντα· ἔτι καὶ νῦν οἱ Γαλάται πάντες καὶ οἱ Τριβαλλοὶ καί οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων τοὺς αὑτῶν υἱοὺς πείθουσιν ὡς οὐκ ἔστι φθαρῆναι τὴν ψυχὴν [ἀλλὰ διαμένειν] τῶν ἀποθανόντων, καὶ ὅτι τὸν θάνατον οὐ φοβητέον, ἀλλὰ πρὸς τοὺς κινδύνους εὐρώστως ἑκτέον.καὶ ταῦτα παιδεύσας τοὺς Γέτας καὶ γράψας αὐτοῖς τοὺς νόμους μέγιστος τῶν θεῶν ἐστι παρ' αὐτοῖς.* Quem ad locum Cobet scripsit [4]): „Quid sit Gallis (*Γαλάταις*) cum Pythagora aut Zalmoxide negotii difficile dictu est; reponerem *Γέταις*, nisi scriptoris errorem

---

1) Cf. commentatio quam G. Seure scripsit (Les images Thraces de Zeus Keraunos: ΖΒΕΛΣΟΥΡΔΟΣ, ΓΕΒΕΛΕΙΖΙΣ, ΖΑΛΜΟΞΙΣ, Rev. d. Et. Gr. 1913, p. 225-261) cuius narratio hac sententiola comprehenditur (Rev. Arch 1913 p 226): „L'ex voto (in Museo Sophiae n. 48) figure ici non le Zeus Kéraunos grec, mais une divinité locale qui portait chez les Thraces le surnom de Zbelsourdos = Zibélésourdos, et chez les Gètes celui de Zibélèizis. Ce même dieu s'appelle aussi Zalmoxis."

2) Diels, Doxografi Graeci p. 558, c. II § 17; cf. c. XXV § 1 et 2.

3) Iambl., V. P. § 173.

4) Cobet, Collect. Crit. p. 384.

magis quam librarii mendum esse suspicarer." Hic de librarii mendo non agi perspicuum est, quod locus Diodori supra allatus demonstrat, quocum consentit Ammiani Marcellini locus L. XV, C. 9. § 1, ubi legitur „ceteris drysidae [1]) ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagorae decrevit, sodaliciis adstricti consortiis, quaestionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, et despectantes humana pronuntiarunt animas immortales."

Adde quod Zalmoxim etiam Aegyptum adiisse dicebant; sic secundum Strabonem (VII 3) *λέγεταί τινα τῶν Γετῶν, ὄνομα Ζάλμοξιν, δουλεῦσαι Πυθαγόρᾳ καί τινα τῶν οὐρανίων παρ' ἐκείνου μαθεῖν, τὰ δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίων, πλανηθέντα καὶ μέχρι δεῦρο.*

Videmus igitur Zalmoxis nomen in hominem, eumque Pythagorae discipulum, varias terras (Thraciam, Aegyptum, Galliam) pervagatum, tralatum esse; sed Zalmoxis olim dei *κεραυνίου* nomen Geticum fuisse sat constat [2]). Quod utique tenendum est, etiamsi demonstrari possit Pythagorae ex asseclis uni Zalmoxi nomen fuisse.

§ 4. *Conclusio.*

Getas Zalmoxim, cui barbarorum in modum hostia humana facerent, tamquam suum Orpheum coluisse, Maass credere nos iubet; quod mihi non veri simile esse videtur. Quod si sumere mavis Zalmoxim apud Getas eundem locum atque Orpheum apud Graecos

---

1) De Druidis cf. Caesar, de Bello Gallico VI, 14, 5.

2) Cf. Suidas Ζαλμόξις· ὄνομα θεᾶς· vulgo emendatur θεοῦ (G. Seure, Rev. d. Et. Gr. 1913, p. 259, lectionem traditam defendit).

obtinuisse, tamen cavendum est ne barbaram istam hominum cum deis commercii formam cum thiasotarum more ita conferas, ut contendas ambarum actionum speciem quidem diversam sed eandem esse rationem. Getae enim hominem immolabant qui nuntius deum adiret cuius iram morte sua placaret[1]), cum ex Diodori et Iamblichi locis supra allatis apparet Pythagoreos qui olim literas mortuis tradebant, hos mortuos non tamquam nuntios ad deum quemdam misisse cuius ira placaretur, sed has literas in ipsorum mortuorum usum compositas traditasque esse. Vix autem controversia esse potest, quin ex isto literarum usu thiasotarum consuetudo deducta sit, qui religionis suae monumentum secum sepultum voluerint.

Paulisper substitimus in re, quae licet minoris momenti esse videatur, omino non parvi facienda est; pro certo enim statuere nunc possumus sodales Italiae meridionalis hac in re neque Aegyptios neque Orphicos secutos esse sed morem Pythagoreum celebrare perrexisse.

---

[1]) Recte Plutarchus hoc de cultu rettulit: Galatas et Scythas θεοὺς εἶναι νομίζειν χαίροντας ἀνθρώπων σφαττομένων αἵμασι (de Superstit. 12). Quid quod idem uno tenore pergit: Τί δε Καρχηδονίοις οὐκ ἐλυσιτέλει Κριτίαν λαβοῦσιν ἢ Διαγόραν νομοθέτην ἀπ᾽ ἀρχῆς, μήτε τινὰ θεῶν μήτε δαιμόνων νομίζειν, ἢ τοιαῦτα θύειν, οἷα τῷ Κρόνῳ ἔθυον; Profecto hoc in promptu erat Zalmoxim, Scytharum deum, Κρόνου nomine ornare.

CAPUT II.

De deis q.s. *ΕΥΚΛΗΣ, ΕΥΒΟΥΛΕΥΣ, ΕΡΙΦΟΣ*

§ 1. *De Inferorum regina.*

Thiasotae tres deos nominatim et omnes alios coniunctim invocaverunt hunc in modum:

carmen A: *Ἔρχομαι ἐκ κοθαρῶν κοθαρά, χθονίων βασίλεια*
Εὐκλῆς Εὐβουλεύς τε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,

c. B et C: *Ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια*
Εὖκλε καὶ Εὐβουλεῦ καὶ ὅσοι θεοὶ δαίμονες ἄλλοι

c. Romanum: *Ἔρχεται ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια*
Εὔκλεες Εὐβουλεῦ τε·

Quorum prima est *χθονίων βασίλεια* quae infra [1]) *Φερσεφόνεια* (B et C v. 7, Lam. Thur. IV v. 6) et *Δέσποινα* (c A v. 8) dicitur. Eandem autem deam formula

τᾶς θεῶ τ ς παιδός ἠμι

significari olim credebant, quae in lamina legitur argentea non procul Poseidonia e sepulcro effossa.

Welcker [2]) enim literas *τ ς* per compendium pro *τρισεμνω* positas esse coniecit. Hofmann [3]) autem adnotavit unam tantum literam, *α*, excidisse et hic non de Proserpina

---

[1]) De cognomine q. e. Δέσποινα cf. Pausanias VIII 37, 9.

[2]) Welcker, Rh. Mus. III (a. 1835) p. 581.

[3]) Hofmann, Gr. D. Inschr. 1648; confert inscr. 1653: Ἥρας ἱαρός etc.

sed de Hera agi, cuius cognomen παῖς erat apud Arcades Stymphalicos.[1])

Quomodo thiasotae Proserpinam venerati sint, infra (cap. V, § 3) fusius describam.

§ 2. *De deo q. e.* Εὐβουλεύς.

Alterum nomen q. e *Εὐκλῆς* sive *Εὔκλος* Orcum significare vulgo sumitur, tertium Hofmann ad Iovem Chthonium traxit, sed Gruppe hoc nomine Dionysum appellatum esse iudicat.[2]) Qui tria nomina uni eidemque numini

1) Pausanias VIII. 22, 2.

2) Gruppe, in Roscheri Lexico s. v. Orpheus p. 1126-27, locum Pindari O. 2, 68 cum Platonis Phaidro c. 29 p. 249, a. confert, deinde recitat Phaidr. 29, 249 c. ubi Plato: „von dem der Erlösung nach dreimaliger Prüfung entgegengehenden Philosophen sagt: τελέους ἀεὶ τελετὰς τελούμενος, τέλεος ὄντως μόνος γίγνεται, was einen beabsichtigten Gegensatz zu gewissen Mysterien, also zugleich einen Hinweis auf sie zu enthalten scheint. Auch zu den Orphika, wenigstens zu den jüngeren, findet sich hier zugleich eine Beziehung insofern, als in diesen der in den Krotoniatischen Versen in der Unterwelt als Erlöser angerufene Gott drei Inkarnationen, als Phanes, Eubouleus und Dionysus durchmacht. Da die beiden ersten Namen auf den Tafeln vorkommen, so kann das vorausgesetzte Gedicht (ex quo versus in laminis inscriptos sumptos esse Gruppe facit) bereits diese Lehre gekannt und in den drei Wiedergeburten des Mysteriengottes das Schicksal des Eingeweihten prototypisch dargestellt haben. Es ist alsdann der Vers der Goldplättchen (carminis A v. 6) κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυπένθεος ἀργαλέοιο von der Seele gesprochen zu denken, wenn sie nach dreifach bestandener Prüfung zur Gottheit zurückkehrt". Iam vero istam Platonis loci et Orphicorum similitudinem, quam Gruppe et ipse incertam esse concedit, missam facimus et tenemus ea quae de thiasotis nostris scripsit; praeterea cf. p 1137 „Im Kult von Eleusis scheint die Lehre von den drei Inkarnationen des Dionysos vorausgesetzt zu sein, die vielleicht schon aus Kroton stammt" et cf. III p. 2254.

fuisse opinatur q. s. Phanes, Eubouleus, Dionysus. Ad quam sententiam corroborandam ad Orphei versus a Macrobio I, 18, 12 traditos relegari potest; Macrobius enim „Orpheus quoque, inquit, Solem volens intellegi ait inter cetera (Abel fr. 167):

Τήκων αἴθερα δῖον ἀκίνητον πρὶν ἐόντα
ἐξανέφηνε θεοῖς δῶρον κάλλιστον ἰδέσθαι,
ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον
Εὐβουλῆά τ' ἄνακτα καὶ Ἀνταύγην ἀρίδηλον.
ἄλλοι δ' ἄλλο καλοῦσιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων."

Quamquam hisce versibus tripartita Dionysi incarnatio non aperte significatur (quartum enim nomen *Ἀνταύγης* additur) tamen faciamus hoc ita se habere et Orphicum de tribus Dionysi incarnationibus dogma quondam fuisse concedamus. Hactenus Gruppium sequi possumus. At idem in laminis nostris e tribus istis dei nominibus duo q. s. *Εὐβουλεύς* et *Φάνης*, legi putat et conicit in eo carmine, ex quo versus laminis inscriptos sumptos esse fecit, illud dogma cantatum esse. Quod utique negandum esse videtur.

In laminis enim unum tantum e tribus istis nominibus legitur, *Εὐβουλεύς*, cum nomen q. e. *Φάνης* nusquam exhibetur [1]). Quod nomen carminis Th. quinti v. 4 legi olim putabant (vide Murray-Harrison p. 667); nunc autem constat hoc versu non nomen quoddam proprium sed verbi formam *ἐφάνης* scriptam esse (vide Diels, Festschr.

---

[1]) Laminae Thurinae quintae v. 4 legitur a Dielsio et Comparettio: ἠδὲ Τύχαις ἐφάνης [καὶ ὁμοῦ] παμμήστορι Μοίρᾳ. Gruppe scripsit a. 1904 (in Roscheri lex. III p. 2254): „nun befriedigt der Herstellungsversuch des zweiten Verses (v. 4) zwar weder dem Inhalt nach noch hinsichtlich der palaeographischen Warscheinlichkeit". Sed nulla est causa cur Dielsii „Herstellungsversuch" in dubium revocemus.

f. G. p. 14). Cum autem unum tantum e tribus nominibus legatur, dubium esse mihi videtur utrum nomen q. e. *Εὐβουλεύς* ad Dionysum trahendum sit an ad alium deum. Nonnunquam Orphicos Bacchum hoc nomine ornasse concedendum quidem est;

H. 52, 4 *Βακχεύς* invocatur:

νυκτέριʼ, Εὐβουλεῦ, μιτρηφόρε, θυρσοτινάκτα

H. 29, 8, Persephone invocatur:

μῆτερ ἐριβρεμέτου πολυμόρφου Εὐβουλῆος

H. 30, 6 legitur:

Εὐβουλεῦ, πολύβουλε, Διὸς καὶ Φερσεφονείης
ἀρρήτοις λέκτροισι τεκνωθείς, κ. τ. λ.

sed his testimoniis maius momentum tribuere nolite; minime enim constat cuinam aetati hi hymni adscribendi sint, et aliis in hymnis Orphicis alius deus hoc nomine appellari gaudet. Quorum e numero sunt qui non inferioris aetatis quam hymni 29, 30, 52 esse videantur. Sed locos perlustrare volumus:

H. 72, 4 Artemis canitur, quam poeta dicit:

Εὐβουλῆος / αἵματος ἐκγεγαῶσαν.

H. 56, 3 Adonidis in cognominibus *Εὐβουλεύς* ponitur [1])
H. 41, *Μητρὸς Ἀνταίας*, dea canitur v. 4:

Εὔβουλον τέξασα θεὸν θνητῆς ὑπʼ ἀνάγκης.

---

[1]) Variae nominis formae in -εύς et -ος exeuntes vix distingui possunt; H. 41 lectio tradita servanda, non cum Abelio mutanda in Εὐβουλῆα τεκοῦσα θεά est; vide Kernium (Hermes, 1911, p. 432) et Dieterichum ad hunc versum; qui lectionem traditam defendit (Kl. Schr. p. 89). In inscriptionibus Eleusiniis nunc Εὔβουλος (I. G. I suppl. 27, b) nunc Εὐβουλεύς (I. G. II, 3) est.

H. 18 *Εἰς Πλούτωνα* poeta Orphicus Infernum deum *ἀνακαλεῖ·*

vs. 12. *Εὔβουλ', ἁγνοπόλου Δημήτερος ὅς ποτε παῖδα*
νυμφεύσας λειμῶνος ἀποσπαδίην διὰ πόντου
τετρώροις ἵπποισιν ὑπ' Ἀτθίδος ἤγαγες ἄντρον
δήμον Ἐλευσῖνος, τόθι περ πύλαι εἰσ' Ἀΐδαο.

vs. 19. *ἵλαον ἀγκαλέω σε μολεῖν κεχαρηότα μύσταις.*

Hic igitur de mystis agitur qui dominum Orcinum (*Ζεὺς χθόνιος* dicitur v. 3, *Πλούτων* v. 4) nomine q. e. *Εὔβουλος* invocabant; hoc autem carmen Petersen [1]) iam antiquiori aetati quam cetera assignavit quia Homericis hymnis similius esse videtur.

H. 42, 2 *Διόνυσος* canitur:

σπέρμα πολύμνηστον, πολυώνυμον Εὐβουλῆος.

Iam videmus etiam Orphicis in literis hoc nomen *Διὶ χθονίῳ* et *Πλούτωνι* attributum esse; quem deum Graecos hoc nomine appellare solitos esse negari non potest. [2]) Quocum plane consentit Hesychii glossema *Εὐβουλεύς = ὁ Πλούτων.* Concludimus igitur hoc nomen antiquitus Inferorum domino tantum proprium fuisse. Quem regem infernalem thiasotas nostros una cum inferna regina invocasse e rei natura est: ambos enim deos obsecrant mortui, quorum sub iudicio iam sunt. Sed in hymnis Orphicis videmus hoc nomen non iustum severumque iudicem tantum significavisse, sed in alium deum translatum esse eo modo ut patris nomen filio

[1]) Petersen, Philologus XXVII p. 385 seq.; cf. Abel, Orphica p. 55.

[2]) Graeci, qui una cum Demetre vel Kora deum q. n. Εὐβουλεύς coluerunt, hoc nomine non Dionysum sed Διά voluerunt; quod inscriptiones demonstrant (Rohde, Psyche, I 207[2], 210[1], Usener Dreiheit, Rhein. Museum 1903, p. 25, Leo Bloch in Rocheri Lexico' II 1302).

attribueretur, qui quotannis in Orcum descenderet unde suo tempore redivivus reverteretur.

Quae nominis tralatio, etiamsi quod ad hymnorum Orphicorum tempora statui non possit, pro certo constare videtur propterea quod e rerum natura est patris nomen labente tempore ad filium transferri, non filii nomen vice versa patri attribui.

Ergo de Hymnorum Orphicorum tempore in universum agere mihi non opus est et statuo in laminis nostris non Dionysi cognomen legi sed dominum Orcinum significari. Gruppii igitur sententiae nihil iam reliquum est quod praesidio esse possit; adhuc enim desunt argumenta quibus confirmetur in Italiae meridionalis thiasotas cadere illud Heracliti (Diels, Fr. der V. I p. 81, fr. 15) *ωὑτὸς δὲ Ἀίδης καὶ Διόνυσος ὅτεωι μαίνονται καὶ ληναΐζουσιν.*

§ 3. *De deo q. e. Εὐκλῆς.*

Iam videamus quem deum thiasotae una cum Inferorum rege et regina invocaverint; nominatus hic est *Εὐκλῆς*. Quo nomine Orcum significari vulgo sumitur: Hofmann [1]) iam adnotavit *Εὐκλέα* eundem ac *Κλύμενον* esse, quo nomine Orcus saepius appellabatur. Crusius, [2]) Buecheler, Dieterich nos ad Hesychii glossema relegant quod est

---

[1]) Hofmann, ad carm. A v. 2: Εὐκλῆς ist, wie aus dem Zusammenhange hervorgeht, sehr wahrscheinlich ein Beiwort des Hades und entspricht als solches dem gewöhnlichen Κλύμενος; cf. Scherer in Roscheri Lexico s. v. Hades p. 1784: „Εὐκλῆς, welcher Name an den Beinamen des Hades Κλύμενος erinnert."

[2]) Crusius, in Roscheri Lexico s. v. Eucles p. 1400. — Buecheler, Rh. Mus. 1881 p. 332/33. — Dieterich. Kl. Schriften p. 94.

Εὐκλῆς ὁ ᾅδης καὶ ὀνομαστὸς καὶ εὐειδής et thiasotas Orcum hoc nomine coluisse statuunt; quem deum Oscos quoque coluisse confirmant, quod in tabula prope Agnone reperta osce Euklúí legatur.

Nobis igitur quaerendum est utrum thiasotae Orcum duobus nominibus ornaverint an alium deum hoc nomine voluerint.

Osca in tabula (quam ed. Mommsen, Unterit. Dial. p. 218 et Joh. Zuetaieff. Sylloge Inscr. Osc. I p. 9) cum varia vegetationis numina enumerantur, legitur A, 3 et B, 4: euklúí et A, 25: euklúí patereí. Quo nomine Mommsen[1]) Hebona significari coniecit sed argumentis non probavit hanc opinionem; neque enim ulla est causa cur Hebonis cultum tantae esse vetustatis faciamus. Hanc igitur interpretationem reicimus.

Alter interpres in commentario edicit (Zuet. p. 103) „Euklúí = Incluto, *Εὐκλεῖ*". In laminis autem legitur A. *Εὐκλῆς*, B *Εὔκλε*, C *(Ε)ὐκλευα*, in lamina Romana *Εὐκλεες*. Nominativi igitur tres formae fuerunt: *Εὐκλέης*, *Εὐκλῆς*, *Εὔκλος*.[2]) (cf. *Ἴφικλος*, *Ἰφικλῆς*, *Πάτροκλος*, *Πατροκλῆς* etc. apud Ruhnkenium in Homericum in Cererem Hymnum). Accedit Oscus iste dativus cui nominativus Eu-c(u)lus[3]) fuisse videtur (et alia quoque forma de qua infra fusius agam). Nunc observato quae Buecheler de deo Osco disputavit[4]) „iam qualis deus Eucles fuerit,

---

[1]) Mommsen, p. 256 dativum Euklúí vertit „Heboni, Libero" et Euklúí patereí „Libero patri".

[2]) cf. Εὔκλειος Jovis epitheton (Bakchyl. I, 116 ed. Blass).

[3]) Cf. Mommsen l. l p, 203: „Eu-c(u)lus — konnte er bei den Samnitern Eu-iculus sein; wegen der Endung vgl. aux-iculus, priviclus neben privus (Fest. v. privicloes) u. s. w.".

[4]) Buecheler l.l. p. 332.

quia parum expedit id quod plerique faciunt interpretari Inclutum, coepi adsequi ductus et cognomine quod inferius ei in titulo illo adtributum est Euklúí patereí, et ordine, quoniam supra proximus a Cerere cernitur coniunctus praepositusque deae quam Samnites non modo frugum, ac florum, ut idem ille titulus ostendit, sed etiam mortis umbrarumque potentem habebant, ut comprobarunt dirae plumbo inscriptae a Vibio". Idem p. 333: „ignoramus quidem, quoniam Eucles et Eubouleus in his monumentis (scil. laminis aureis) tamquam duo ac diversa numina appellantur — contra in Eleusiniorum hymno *Πολυσημάντωρ Πολυδέγμων* unus prodit *Κρόνου πολυώνυμος υἱός* — quid inter eos fecerint discriminis, sed liquet hunc non minus quam illum in magna Graecia creditum esse habitare sedes infernas et recludere ianuam leti itaque eandem potestatem sine erroris periculo adsignare licet adscito ex illis oris ab Samnitibus deo Eukloí". Quae docti interpretis conclusio vereor ne prava sit. Deus enim qui in aureis laminis invocatur unus ex Inferorum numero est, sed is cuius nomen in tabula Osca legitur, inter eos[1]) est quibus (A. 20): fruusasiaís. az. húrtúm sakarater, quod Mommsen vertit (p. 128): „Florariis deabus ante villam res sacra fit" et Zuetaieff:

---

[1]) Legitur in tabula Osca (Zuetaieff l. l.A 20 seq) — Zuetaieff vertit:

fruusasiaís. az. húrtúm sakarater	Floralibus ad templum sacratur
pernaí. kerríiaí. statíf.	Praestiti cereali statio.
amnaí. „ „	Matri „ „
fluusaí. „ „	Florae „ „
euklúí. paterí. „	Incluto patri „

cf. Mommsen p. 128: „Florariis deabus ante villam/ res sacra fit/ Pali geniali stative/ Amni g. st / Florae g. st./ Libero patri st."

„Floralibus ad templum sacratur". Est igitur unus e Floralibus deis, cuius in nomine eandem metonymiam videmus qualis etiam in Eubouleo observatur. Orci enim utrumque cognomen in deum alterius ordinis tralatum esse apparet. Hanc igitur Buecheleri conclusionem repudiare praestat, sed eum *Εὐκλέα* et *Εὐβουλέα* distinguentem omnino sequor. Mirum enim est quanam causa Orcus duplici nomine ornatus sit cum alterius dei nomen silentio praetermitti videatur, quem nominatim invocatum esse totus contextus clamet. Dico Hermen, quem Metapontinos nomine Eucoli coluisse Hesychius testatur hunc in modum:

Εὔκολος ... Ἑρμῆς παρὰ Μεταποντίοις.

Si nobiscum reputamus Dionysi nomen *Ἔριφον* e sacris Metapontinis in sodalicia Thurina translatum esse (qua de re § 4 fusius agam) vix temerarium videri potest hoc Hermae nomen adaequare tribus formis eiusdem nominis in laminis Thurinis scriptis, sive censes Hesychium errore abductum *Εὔκολος* pro *Εὖκλος* scripsisse, sive mavis rem ita interpretari ut Itali nomen Graecum *Εὐκλεής* = *Εὐκλῆς* = *Εὖκλος* litera o interiecta produxerint. Mihi praestare videtur haec sententia, Italos nomen Graecum eodem modo mutasse, quo nomen q. e. *Ἡρακλῆς* in formas Hercles, Hercele, Hercoles, Hereklos abiisse videmus. [1])

---

[1]) De variis formis Italis nominis graeci q. e. Ἡρακλῆς vide Peteri commentationem s. v. Hercules in Roscheri lexico p. 2253 seq, cf. Wissowa, Religion und Cultus der Römer p. 272. Hermis cognomen Εὐκ(ο)λος, Euc(u)lus ne confundatur cum adiectivo q. e. εὔκολος, Asclepii et heroum epitheto. In Graecia Hermes Εὔκολος non cultus est; unum tantum locum in literis Graecis inveni, ubi invocatur (Anthol. Palat. IX, 72) Εὔκολος Ἑρμείας ... ἐν δὲ γάλακτι/χχίρων καὶ δρυίνῳ σπενδομένοις μέλιτι; poeta deum Metapontinum voluisse videtur (vide infra cap. VI, § 4).

In duobus enim nominibus eandem legem etymologicam valuisse apparet, si dativum Oscum Eucluí confers cum dativo Osco Herekluí.

Credi autem non potest alium deum *Εὔκλον* a Thurinis alium *Εὔκολον* a Metapontinis dictum esse. Concludimus igitur Thurinos et Metapontinos Hermen cognomine quod gloriosum significat coluisse, neque est quod miremur deum hoc epitheto ornatum esse; nam idem fere significat atque aliud istud epitheton *κύδιμος* quod vulgo [1]) huic deo datur.

Iam rogatur cur thiasotae in solemni deorum invocatione post Inferorum Reginam et ante dominum Orcinum Hermen invocarint, cui quaestioni facile respondere possumus, cum meminerimus Pythagoreos credidisse hunc deum animas *καθαράς* ad Iovem prosequi. Diogenes enim Laertius scripsit Alexandrum Polyh. in commentariis Pythagoricis legisse Hermen *ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν, ἐπειδήπερ οὗτος εἰσπέμπει ἀπὸ τῶν σωμάτων τὰς ψυχάς, ἀπό τε γῆς καὶ ἐκ θαλάττης καὶ ἄγεσθαι μὲν τὰς καθαρὰς ἐπὶ τὸν Ὕψιστον* [2]), *τὰς δὲ ἀκαθάρτους μήτε ἐκείναις πελάζειν, μήτε ἀλλήλαις, δεῖσθαι δ' ἐν ἀρρήκτοις δεσμοῖς ὑπὸ ἐρινύων.*

---

[1]) Hom. H. in Mercurium. v. 46, 84, 96, 130, 150, 252, 316, 414, 571; *κυδρός* v. 461; Hesiod. Theog. v. 938 *κύδιμος*.

[2]) Diog. Laert. VIII, 31. Nonnull iviri docti haeserunt in praepositionis q. e. *ἐπί* usu minus usitato (Cobet vertit „in altissimum locum"; Rohde locum temptavit: *ἐπὶ τὸν ὕψιστον κύκλον*, aut *ἐπὶ τὸ ὕψιστον*; Cumont: *εἰς τὸν Ὕψιστον*). Equidem arbitror praep. *ἐπί* hic vim praep. *εἰς* vel *πρός* habere; quod quamquam inusitatum, non mendosum est (cf. Xen. Anab. IV, 7 : 23 *ἔθεον . . .ἐπὶ τοὺς βοῶντας*); sin displicet cum Cumontio legatur: *εἰς* pro *ἐπί*. Nam utique constat *Ὕψιστον* non locum sed deum esse, eumque Jovem. Prave Rohde (Psyche II, 165 [1])contendit „der höchste Gott wäre hebräisirender Ausdruck, wie man ihn doch auch dem Alex. hier nicht zutrauen kan." Cumont (O. R. im. R. H.

Quem Laertii locum non supervacaneum esse videtur ab iis defendere qui eum iniuria damnaverunt. Laertius enim vitae Pythagoricae parti quam legimus § 25-36 hoc testimonium praemisit: *φησὶ δὲ καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διαδοχαῖς, καὶ ταῦτα εὑρηκέναι ἐν Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασιν* (§ 24) cui parti hunc finem imposuit: *καὶ ταῦτα μέν φησιν ὁ Ἀλέξανδρος ἐν τοῖς Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασιν εὑρηκέναι· καὶ τὰ ἐκείνων ἐχόμενα ὁ Ἀριστοτέλης* [1]) (§ 36). Ergo Laertius ex Alexandri opere c. t. *αἱ τῶν φιλοσόφων διαδοχαί* sumpsit quae et ipse Alexander in commentariis Pythagoreis se invenisse affirmat, neque ulla est causa cur sumas Alexandrum illos commentarios de suo finxisse. Quos quanti Diogenes habuerit vel ex eo sequitur quod bis eos nominatim attulit. Alexander autem Sullae aetate floruit et commentarios, qui tunc temporis ei prae manibus fuerunt, sat antiqui temporis fuisse credo et Aegidio Menagio [2]) astipulor qui adnotat ad locum nostrum: „minus recte Meursius in notis ad Chalcidium et Vossius libro I de historicis Graecis capite 22, huic Alexandro Hypomnemata ista Pythagorica tribuebant; quo nomine recte a Jonsio reprehenduntur, libro II cap. 16 de scriptoribus historiae

p. 295[66]) locum Jes. XIV 13 confert, quem LXX verterunt hunc in modum: Εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβήσομαι, ἐπάνω τῶν ἀστέρων θήσω τὸν θρόνον μου . . . ἔσομαι ὅμοιος τῷ Ὑψίστῳ; hoc nomen quod legitur Pind. N. I, 60; XI, 2; Aesch. Eumen. 28; Soph. Phil. 1289, Graecos ab Hebraeis sibi ascivisse non veri simile est, nisi forte credis iam ante Pindari Aeschylique aetatem Iudaeorum res sacras Graecis innotuisse.

[1]) § 34 Aristoteles περὶ τῶν κυάμων citatur. Eodem Alexandro Laertius quattuor aliis locis usus est, ubi nihil nisi „ἐν διαδοχαῖς" l. II 19 de Socrate, II 106 de Euclide, III 3 de Platone, IX 61 de Pyrrone.

[2]) Aegidii Menagii in Diogenem Laertium Observationes et emendationes, Amstelodami, CIƆIƆCVIIIC, ad § 36.

philosophicae". Meursii autem Vossiique sententia non desunt nostra aetate quibus nimium placuit. Rohde [1]) enim eis astipulari videtur et Cumont [2]) eo processit ut contenderet illa *Πυϑ. ὑπομνήματα* primo demum saeculo post Christum natum composita esse. Sed si meminimus anno 181 a. Chr. famam Pythagoricae disciplinae [3]) iam Romam usque prorepsisse, et eodem tempore Romae fuisse qui thiasotarum Italiae inferioris in modum Proserpinam, Hermen, Eubouleum colerent (quod apparet e lamina Caeciliae Secundinae) et a. 186 Bacchanalia ex Italia meridionali translata Romae celebrata esse, si haec omnia memoria tenemus, negare vix poteris, fieri potuisse ut Alexandro scripta quaedam de Pythagoreorum religione et disciplina innotescerent. Immo commentarios huiusce modi ei adfuisse cum librum suum *Περὶ Πυϑαγορικῶν συμβόλων* componeret, veri simile est, nisi forte credis eum de suo finxisse quae de Pythagoreis symbolis scriberet, [4]) neque temeraria est haec coniectura, aliquem e Caeciliae Secundinae synthiasotis saeculo 2. a. Chr. nonnulla rei sacrae praecepta literis mandasse et haec scripta sub titulo *Πυϑ. ὑπομνήματα* Alexandro innotuisse. Quae enim Alexander de mortuorum itinere rettulit mirum in modum consentiunt cum iis quae laminae aureae testantur. Quod vel ex eo apparet, quod et thiasotae et Pythagorei (de

[1]) Rohde, Psyche II, 165[2].

[2]) Cumont, O. R. im. R. H. p. 295[66]: „Der Darlegung der pythagoreischen Lehre, welche D. L. von Al. Pol. entlehnt, und die in Wirklichkeit ein apokryphes Werk des I Jahrhunderts n. Chr. ist".

[3]) De libris ex Janiculo effossis vide Val. Ant. apud Plin. N. H. XIII 87 (Peter, H. R. Fr. 7) et Plut., Numa 22; Cass. Hemin. apud Plin. N. H. XIII 84 (Peter, fr. 37); L. Calpurnius Piso apud Plin. l.l. (Peter, fr. 11); cf. Livius, l 40, c. 29.

[4]) Vide Clem. Alex. Str. I, 15, 70, p. 358 P.

quibus Alexander scripsit) crediderunt Hermen animarum mortuorum ducem esse, easque ad Jovem prosequi non onnes, sed solum *τὰς καθαράς*. Unum autem intercedit inter laminas et Alexandri testimonium discrimen: in laminis Inferorum rex *Εὐβουλεύς* nominatur, Alexander autem rettulit Hermen, quem dicerent *ταμίαν τῶν ψυχῶν, πομπέα, πυλαῖον, χθόνιον*, animas ducere ad Jovem *Ὕψιστον*. Quo epitheto deum in excelsis regentem ornatum esse vulgo sumitur. [1]) Duo autem nomina quamquam dîversa esse videntur, unum eundemque deum Orcinum significant, sive iudicas Jovem, utpote omnium summum deorum, *Ὕψιστον* dictum esse, sive probabilius videtur deum in excelsis regnantem hoc epitheto ornatum esse. Meminimus enim etiam alium regem Infernalem [2]) *πάντων ὑπέρτατον θεῶν* dictum esse et intellegimus Eubouleum non minus apte *ὕψιστον* quam Zagreum *ὑπέρτατον* dictum esse. Sin autem facimus deum coeli potentem *Ὕψιστον* dictum esse et *ὕψιστον* idem ac nomen q. e. *ὑψιμέδων* significare, facili coniectura assequimur Pythagoreos credidisse deum *πυλαῖον* animas *καθαράς* prosequi ad deum *τὸν ᾅδην τὸν ἐν οὐρανῷ* incolentem. (Neque enim obliviscimur in Graecia olim fuisse qui *Διὰ Ὕψιστον* una cum Herme colerent [3])

---

[1]) Cf. Usener, Götternamen p. 50, Cumont l.l. p. 151, 295, 297; Drexler (in Roscheri lexico s. v. Hypsistos I, 2856) ὕψιστον ac adiectiva q. s. ἐπάκριος, ἀκραῖος, κορυφαῖος, idem significare sumpsit; Zeus autem modo ὕψιστος, modo ὕπατος dictus est.

[2]) „ὦ πότνια Γῆ Ζαγρεῦ τε θεῶν πανυπέρτατε πάντων" ὁ τὴν 'Αλκμαιονίδα γράψας ἔφη legitur in Etym. Gud. s. v. Ζαγρεύς = Anecd. Oxon. II, p. 443. Cf. Maass, Orpheus p. 82.

[3]) Pausanias apud Eleos vidit (l. V, 15, 5) Ἑρμοῦ καὶ δύο ἐφεξῆς Διὸς ὑψίστου βωμούς· Idem (II, 2, 8) Korinthi fuisse testatur tria Iovis signa, τὰ δέ τοῦ Διός, καὶ ταῦτα ὄντα ἐν ὑπαίθρῳ, τὸ μὲν ἐπίκλησιν οὐκ εἶχε, τὸν δὲ αὐτῶν χθόνιον καὶ τὸν τρίτον καλοῦσιν Ὕψιστον.

et Thebis antiquissimum *Διὸς ἱερὸν ἐπίκλησιν Ὑψίστου* necnon *πύλας* ab hoc deo dictas *ὑψίστας* fuisse. De quibus Pausanias [1]), portas Thebanas *ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ ἀρχαίου τείχους* enumerans, scribit haec fere: *τὰς δὲ Ὑψίστας ἐπὶ λόγῳ τοιῷδε ὀνομάζουσι· ... πρὸς δὲ ταῖς Ὑψίσταις Διὸς ἱερὸν ἐπίκλησίν ἐστιν Ὑψίστου*). *Πομπεύς* enim Hermes dictus est qui a terra in coelum ducit; *Πομπαῖος*, Suidas *ὁ ἀπὸ τῶν γηίνων εἰς τὰ οὐράνια πέμπων* ait; *πυλαῖος* autem idem deus dictus est ab Orci portis, quas Pythagorei nominabant *ᾅδου πύλας*. Quod Alexander apud Laertium rettulit [2]). Videmus igitur *Εὐβουλεύς* quam eleganter epitheto q. e. *Ὕψιστος* ornatus sit. Quae si feliciter disputata sunt, concludimus thiasotas una cum Inferorum regina Hermen, Proserpinae nuntium et Eubouleum, Proserpinae maritum invocasse. Qui tres dei prorsus eodem modo iunguntur in epigrammate sepulcrali [3]), ubi legitur:

ἁρπάξας Ἑριούνιος Εὐβουλῆι
τέκνον] ἄθυρμα φέρεν Φερσεφόνῃ τ' ἀλόχῳ.

Harrisoniae igitur opinio repudianda est, quae scripsit [4]):

---

1) Pausanias IX, 8, 4; post ὀνομάζουσι lacuna est.

2) Diog. L. VIII, 34.

3) Kaibel, Epigr. Gr. 272, 9.; Hermes ἄγγελος Φερσεφόνης, l.l. 575, 1; cf. epigr. 312, 8: τειμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι σὺν ἀθανάτοισι θεοῖσι / Ἑρμείαο λόγοις· ὅς μ' οὐρανὸν ἤγαγε χειρῶν κ.τ.λ.; nonnunquam ipsa Persephone, Παμβασίλεια hoc munere fungitur, vide Epigr. 218, 15 et 452, 17.

4) Harrison, Prol. p. 588. Comparetti opinatur Euclem esse Orcum, Eubouleum esse Dionysum; vide autem imaginem quae primam eius libri paginam ornat. Cui ipse ascripsit haec „La vignetta del frontispizio è ricavata da Bartoli, Pitt. d Sepolcro dei Nasoni t. VIII, Wieseler, Denkm. II n⁰. 860. Hermes presenta un' anima (coll' eidolon della morte) al giudizio di Aide che siede con Persefone" Ceterum cf. Müller-Wieseler, II 329 et 330 et Overbeck, Kunst mythologie, tab. 17. 13.

„Eukles and Eubouleus are in fact only titles of the one God of Orphism who appears under many forms as Hades, Zagreus, Phanes and the like."

§ 4. *De deo q. e.* Ἔριφος.

Quamquam thiasotae Dionysum non nominatim invocaverunt, et hunc deum coluisse videntur. Carmen enim A exit in formulam: ἔριφος ἐς γάλα ἔπετον et in lam. Thur. IV v. 5 legitur: ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετες. De tota hac formula cum infra agere in animo sit, nunc tenemus vocem illam ἔριφος, quo nomine Dionysus olim a Laconibus cultus est. Hesychius enim testatur s. v. Εἰραφιώτης· ὁ Διόνυσος, παρὰ τὸ ἐρράφθαι ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός· καὶ ἔριφος, παρὰ Λάκωσιν, idem s. v. Ἔριφος· ὁ Διόνυσος, et s. v. ἐριφιήματα· ἔριφοι Λάκωνες. Quem cultum in Italiam translatum esse Apollodorus in Steph. Byz. s. v. ἀκρώρεια docet: παρὰ δὲ Μεταποντίνοις Ἐρίφιος [sc. ἐκαλεῖτο Διόνυσος]. Ergo Diels recte statuit ἔριφος = βάκχος.

Videmus igitur Dionysum Ἔριφον antiquitus a Laconibus cultum esse, hunc cultum e Graecia ad Metapontinos translatum esse, Thurinos Ἐρίφου sacra una cum Hermae cultu a Metapontinis sibi ascivisse. Quod nomen quid sibi voluerit Wide luculenter interpretatus est hunc in modum[1]): „wie Dionysos an einigen Orten als Stier gedacht wurde, so konnte mann sich ihn auch als Böcklein vorstellen. Dies dürfte als ein Ueberbleibsel theriomorphistischer Anschauungen von den Göttern angesehen

[1]) S. Wide, Lakonische Culte p. 168 seq.; cf. nomina sacra ἄρκτοι, πῶλοι, ταῦροι, μέλισσαι quibus deorum cultores nominabantur (vide Wide, p. 79 et 179).

werden." Per temporis autem seriem ἔριφος in ἐρίφιος abiisse opinatur, quocum Apollinis, Poseidonis, Athenae nomina confert; qui antiquitus delphinus, ἵππος, ἵππη audiebant, post Δελφίνιος, ἵππιος, ἱππία nominabantur. Quam ob causam ἔριφος, quod Hesychius tradidit, Schmidtium prave in ἐρίφιον mutasse iudicat.[1]) Nostrae autem laminae sat liquide demonstrant Wideum recte Hesychii glossema a Schmidtii coniectura defendisse; adde quod olim fabula[2]) erat Dionysum a Jove in ἔριφον mutatum ab Herme ad nymphas Nyseides translatum esse, et Dionysi inter nutrices non solum Ἐριφία sed etiam Ἐρίφη et Ἐρέφα annumerabantur.[3]) Thiasotae igitur Thurini Dionysum ἔριφον appellaverunt, quibuscum feminas Eleas, Thyiades,[4]) apte conferre possumus, quae deum hoc hymno κλητικῷ invocabant:

Ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε
Ἅλιων ἐς ναὸν ἁγνὸν σὺν χαρίτεσσιν,
ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων,
ἄξιε ταῦρε, ἄξιε ταῦρε

Praeter duas nominis formas q. s. ἔριφος et ἐρίφιος tertium

---

[1]) cf. Wide, l.l.

[2]) Apollodorus III, 4, 3, 7 fabulam narravit.

[3]) Ἐρίφη, Etym. M. p. 372, 4; Ἐριφία Hyg. Fab. 182; Ἐρέφα, Etym. M. p. 372, 1 (cf. Ἐρίφα, una ex tribus Marmacis equis, Pausan. VI, 21, 7). Etym. M. p. 302, 59: φασὶ γὰρ αὐτὸν ὑπὸ ἐρίφων ἀνατραφῆναι.

[4]) Plut Quest. Gr. XXXVI, cf. Plut. de Iside XXXV; vide Voightii commentationem in Rocheri lexico I, p. 1055 seq.; ceterum de deis aminalium sub specie cultis cf. M. W. de Visser, Die nicht menschengestaltige Götter der Griechen, Lugduni Batavorum a 1903 — J. Schestelowitz, Das Hörnermotiv in den Religionen, Archiv für Religionswissenschaft, p. 451—487 a. 1912 — Usener, Göttliche Synonyme, Rh. Mus. 1898 p. 360 seq. = Kleine Schriften IV p. 288 seq.

nomen antiquitus iam obvium erat, q. e. *εἰραφιώτης*; deum sic poeta Hymni Hom. in Dionysum *Δῖον γένος, Εἰραφιῶτα* nuncupavit[1]) et ab Alcaeo deus invocatus est[2]) *Ἐρραφιώτας*. Hesychius hoc epitheton idem ac *ἔριφοι* significare iudicasse videtur et Porphyrius deum *εἰραφιώτην* ab animali nomen habere ratus est. Qui varia animalia enumerans[3]) *ὅθεν καὶ θεοῖς ἐπωνυμίαι* haec exempla affert: *Διονύσῳ μὲν εἰραφιώτης, Ἀπόλλωνι δὲ λύκειος καὶ δελφίνιος, Ποσειδῶνι δὲ ἵππιος καὶ Ἀθηνᾷ ἱππία*. Quibus duobus interpretibus Wiesseler astipulatus vocis etymologiam ita explanavit, ut sumeret[4]) substantiva q. s. *ἔριφος* et *ἔρραος* (= *ἐρράς* = *ἔρρωος*) inter se cohaerere, literam *F* post *α*, ante *-ος* excidisse eiusque locum literam *φ* obiisse, hunc in modum nomen **ἔρραφος* exiisse, denique hoc nomen abiisse in *ἐρραφιώτην*[5]).

Quae Wiesseleri disputatio Dietericho admodum placuit, qui nos relegat[6]) ad versum oraculi imperatorum aevo conscripti, Pergami inventi, hunc:

τῶν ἡ μὲν Κρονίδην ὕμνῳ, μία δ' Εἰραφιώτ[ην
[μέλψ] η

et ad H. Orph. 48, v. 1 seq.:

Σαβάζιε, κύδιμε κοῦρε,
ὃς Βάκχον, Διόνυσον, ἐρίβρομον, Εἰραφιώτην
μηρῷ ἐκκατέραψας, ὅπως τετελεσμένος ἔλθοι

---

1) H. H. in D. v. 2, 17, 20.

2) Alc. fr. 90.

3) Porphyrius, de abstinentia III, 17.

4) Wiesseler, Philologus 1855 p. 701.

5) Wiesseler, l.l. „dass *-ιώτης* Endung ist, unterliegt keinem Zweifel. Dieselbe Endung findet sich z.b. in dem Beinamen des Apollon *δειραδιώτης* bei Pausan. II 24, 1."

6) Dieterich, Kl. Schr. p. 96/97.

et deinde Ἐρίφου religionis et nominis historiam hisce fere complectitur „a Doriensibus, inter quos iam Alcman[1]) testis est, translata est in Italiam, unde propagata est ad posterioris aevi cultus Bacchicos (et Asiae Minoris)".

Quamquam Hesychium Porphyriumque secutus Wiesselero astipulor et mihi persuasum est nomen q. e. εἰραφιώτης a stirpe vocis ἔρραος derivandum esse, equidem observo hanc vocis etymologiam Orphicis aut ignotam fuisse aut non placuisse. Quid enim hoc nomen significare opinati sint, clarum fit si conferimus aliud eiusdem dei cognomen q. e. μηρορραφής[2]) et meminimus Orphicos Εἰραφιώτην deum nominasse quem pater μηρῷ ἐγκατέρραψε Verum enim vero in huius hymni poetam (H. Orph. XLVIII) cadit illud Hesychii glossema „παρὰ τὸ ἐρράφθαι ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός" nec non illud Nonn. Dionys.[3]) „ἐφήμισεν Εἰραφιώτην, ὅττι μιν εὐώδινι πατὴρ ἐρράψατο μηρῷ" Hoc utique tenendum est Orphicos Εἰραφιώτην colentes non deum ἐρράου forma indutum, sed femori insutum voluisse. Distinguenda igitur sunt Laconum cultus, qui Dionysum sub ἐρίφου specie coluerunt, et Orphicorum sacra, qui crediderunt deum, cum Semele Jovis fulmine abrepta esset, patris femori insutum esse.[4])

---

[1]) Legas „Alcaeus"; neque Wiesseler neque Dieterich Crameri Anecd. Parisin. III p. 12 l. 5. legisse videtur; Alcaei fragmentum esse constat.

[2]) Vide lexica s v. et cf. Dionys. Per. 940: Εὐρραφέος παρὰ μηροῦ. (secundum Strabonem Μηροτραφής deus in Mero monte nutritus dicitur)

[3]) Nonn. Dionys. IX 23.

[4]) Kern in Pauly-Wiss. Lexico V p. 1028 „das rein poetische Beiwort εἰραφιώτης scheint aber nicht hierher (scil. ἔριφος) zu gehören"; alias huius nominis interpretationes collegit Iessen in Pauly-Wiss. Lexico V p. 2119

Postremo observatum volo Hesychium una cum nomine ἐρίφων etiam caerimoniarum quoddam genus „ἐριφιήματα" nuncupasse. Quaenam haec δρώμενα fuerint, non narravit; fortasse ἔριφοι immolabantur. Non abs re esse mihi videtur in mentem revocare, fuisse qui [1]) dicerent Pythagoram aliis sacrificiis usum esse inanimis sed praeterea ἀλέκτορσι μόνον καὶ ἐρίφοις καὶ γαλαθηνοῖς. Quod Diogenes narravit, quocum Aristoxeni testimonium consentit qui [2]) refert Pythagoram „porculis quoque minusculis et haedis tenerioribus victitasse." Gellius uno tenore pergit: „Quam rem videtur cognovisse e Xenophilo Pythagorico, familiari suo, et ex quibusdam aliis natu maioribus, qui ab aetate Pythagorae [minus [3]) diu aberant]." Mirum videtur Pythagoricos aliis animalibus pepercisse sed ἐρίφους excepisse. Nonne suspicio oritur thiasotas, ceteroquin ἐμψύχων ἀπέχοντας, sacrum animal immolasse et comedisse? Sed hic quidem locus concludi iam potest. Lustravimus enim deos a thiasotis cultos et vidimus eos non solum Inferorum reginam, nuntium, regem invocasse, sed etiam Dionysi mysteria celebrasse. Nam sicut in Graecia et Italia huius dei mystae Bakchi et Bakchae appellabantur, ita mystae Thurini ἔριφοι nuncupati esse videntur.

Unum tantum addere volo. Cum Dionysus olim a Metapontinis nomine ἔριφος cultus sit, Gruppe ita iudicat: „Indessen sind doch diese unteritalischen Orphika (sc. versus laminis inscripti) eng mit dortigen Lokalkulten

---

[1]) Diogenes Laert. VIII, 20.

[2]) Gellius, cui Aristoxenexi liber de Pythagora praesto fuit, hoc narravit, IV, 11; cf. Athen. X 13, 418, e.

[3]) Verba cancellis inclusa addita sunt in Caroli Hosii editione (I, p. 197).

verbunden, ich erinnere nur an das ἔριφος etc." Equidem autem demonstrare conatus sum non ἔριφον solum sed Εὐκ(υ)λον quoque cultum esse a Metapontinis; quam ob causam iudico non sacra quae dicuntur „Lokalkulten" cum thiasotarum sacris confusa esse, sed cultum thiasotarum Thurinorum antiquissimam sedem in Metapontina regione habuisse. Ad Metapontinos autem Pythagoras, cum viginti annos Crotona egisset, migravisse dicitur [1]. Quam ob causam exspectamus etiam Metaponti sodalicia Pythagorea instituta esse.

Si vera sunt qua supra [2] disputavi, thiasotas Thurinos, qui literas sepulcrales mortuis traderent, morem Pythagoreum celebrare perrexisse, neque minus certum est sacra Thurina e Metaponto oriunda esse, iam concludendum est thiasotas Italiae inferioris optimo iure Pythagoreos nominari posse.

---

[1]) De Pythagora apud Metapontinos vide Iambl. V. P. c 35 § 249; Diog. Laert. 8, 15; Justin 20, 4; Cicero, de Fin. V, 2, 4; cf. Porphyr. V. P., 4.

[2]) Vide Caput I.

CAPUT III.

De duorum carminum similitudine et discrepantia.

§ 1. *Variae interpretum sententiae enumerantur.*

Dieterich inscriptionum trium verbis „verum hymnum" effici arbitratus, versus hunc in modum edidit:

Carmen A.

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια,
Εὐκλῆς Εὐβουλεύς τε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι·
καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν,
ἀλλά με μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν.
κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυπενθέος ἀργαλέοιο,
ἱμερτοῦ δ' ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι,
δεσποίνας δὲ ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας.
'ὄλβιε καὶ μακαριστέ, θεὸς δ' ἔσῃ ἀντὶ βροτοῖο'
ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον.

Carmen B.C.

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια,
Εὖκλε καὶ Εὐβουλεῦ καὶ θεοὶ ὅσοι δαίμονες ἄλλοι.
καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος εὔχομαι ὄλβιον εἶναι,
Ποινὰν δ' ἀνταπέτεισα ἔργων ἕνεκα οὔτι δικαίων,
εἴτε με μοῖρα ἐδάμασσεν εἴτ' ἀστεροπῆτα κεραυνῶν.
νῦν δ' ἱκέτης ἥκω παρ' (sic) ἁγνὴν Φερσεφόνειαν,
ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας ἐς εὐαγέων.

Quam edendi rationem hunc in modum defendit[1]) „etiamsi non pro certo affirmaverim horum versuum tres vel potius duos quasi codices sic contaminandos esse in unum contextus progressum, tamen hoc modo scripsi ut unum subesse carmen eluceret, cui hic illic versum postea desumptum vel additum esse non negaverim. Sed quid sibi velint hi versus bene perspicis, si quos in dextra et in sinistra pagella posui coniunxeris, ita ut undecim versuum carmen oriatur. Supplicatio est mystae ad Inferorum reginam regesque facta, ut se excipiat pratis beatorum. Iam versu undecimo iudicium fert regina: «beate, deus eris». V. 12 continentur voces mysticae metro solutae, adhuc editoribus obscurissimae." Quae sententia altero post anno ab auctore repetita[2]) hunc in modum „Drei Täfelchen, deren Inschriften auf einen zu Grunde legenden Text zurückgehen, geben einen Hymnus, das Gebet etc." cum Kaibelii opinione omnino consentit, qui „carmen Orphico, ut ita dicam, dicendi genere conceptum defunctorum corporibus imponi solebat," inquit[3]), „quod carmen cum in usum sepulcrorum saepius describeretur, sensim corrumpebatur et in brevius redigebatur, omissis aliis, aliis additis, pluribus denique mutatis, ut tamen primaria indoles non oblitteraretur." Quibuscum etiam Murray[4]) facit, qui trium laminarum unam versionem perpetuam britannice edidit et Foucart[5]) qui opinatur versus laminis inscriptos ex uno carmine ita excerptos esse, ut in lamina Thurina prima, altera, tertia verba

[1]) Dieterich, De H. O. p. 31/32 (= Kl. Schr. p. 93) a. 1891.
[2]) Dieterich, Nekyia p. 85, a. 1893.
[3]) Kaibel I. G. XIV, ad 641.
[4]) Murray in app. ad Harrisoniae Proleg. p. 670
[5]) Fouchart, Recherches sur ...., a. 1895 p. 71.

mortuo dicenda ut ad beatorum sedes admittatur, in lamina Petilina, Cretica, Thurina quarta praecepta de via ad Inferos ducente legantur.

Radermacher [1]) autem omnia carmina ex uno archetypo descripta esse negat et arbitratur versus laminis inscriptos ex duobus carminibus Orphicis sumptos esse; quam sententiam hunc in modum edixit: „Eine gemeinsame Urform für alle drei Fassungen vermag ich nicht anzunehmen, sondern rechne mit zwei älteren orphischen Gedichten, von denen das eine in 641, 2 und 3 (carm. B et C) ziemlich rein erhalten ist, während das zweite bei der Kontamination 641, 1 benutzt wurde." Gruppe [2]) autem Kaibelio astipulatur et trium tabularum discrepantiam prorsus eodem refert hunc in modum: „die Inschriften scheinen besonders beliebte oder für den Toten wichtige, vielleicht auch für den Grabgebrauch zurechtgemachte Verse eines Werkes zu enthalten." Quo in carmine restituendo eidem placuit prudentius agere et non unius carminis, sed cuiusdam carminum generis vestigia indagare. Cuius a parte Christ quoque stat qui laminarum versus ex plenis perfectisque hymnis Orphicis desumptos esse iudicat [3]).

Videmus igitur non omnes interpretes Dieterichum secutos esse. Qui tribus inscriptionibus unum subesse carmen arbitratus enucleare conatus est quodnam pristinum

---

[1]) Radermacher, Rhein. Mus. a. 1912 p. 474.

[2]) Gruppe, in Roscheri lexico, s. v. Orpheus p. 1124/25.

[3]) Christ, Geschichte der Griechischen Literatur[4], a. 1905 p. 822: „— an die orphischen Hymnen schliessen sich die mystischen Verse an die Götter der Unterwelt an, welche auf goldenen Plättchen in Unter-Italien gefunden wurden und aus vollständigen Hymnen herausgerissen sind."

illud carmen fuerit. Cui titulum fuisse coniecit [1]) Ὀρφέως εἰς Ἅιδου κατάβασιν.

Rohde autem illo e carmine versus nostros sumptos esse aperte negat hunc in modum [2]): „Dass die Verse, wie Dieterich annimmt, aus einem Gedicht von Orpheus Hadesfahrt genommen seien, davon geben sie selbst nicht das leiseste Anzeichen." Ad quam Dieterichi opinionem improbandam Rohde nihil operae perdidit, cum ipsius sententiae auctor ad eam probandam nihil nisi suspicionem suam, eamque sagacem quidem, sed nullum argumentum attulerat. Argumenti enim locum illa similitudo vix subire potest quae inter lam. Th. V v. 1:

ἀλλ' ὁπόταμ ψυχὴ προλίπῃ φάος ἀελίοιο

et versum [3]) Orpheo attributum:

ὅπποτε δ' ἄνθρωπος προλίπῃ φάος ἠελίοιο

esse Dietericho videtur. Quae similitudo mero casui debetur, cum ex versus illius contextu sat liquide appareat aliud Orphici carminis, aliud inscriptionis Thurinae esse argumentum.

---

[1]) Dieterich, Nekyia p. 128 seq. p. 135 seq.

[2]) Rohde, Psyche II 217[2].

[3]) Proclus in Plat. Polit. p. 696 ed. Mai (Abel, Orphica fr. 224) scripsit: Ὅτι δὲ καὶ ἰδία τῶν ἀλόγων τίς ἐστι ψύχωσις, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ μόνων τῶν ἀνθρωπίκων ψυχῶν, δηλοῖ λέγων ὁ Ὀρφεύς·

Αἱ μὲν δὴ θηρῶν τε καὶ οἰωνῶν πτεροέντων
ψυχαὶ ὅτ' ἀίσσωσι λίπῃ τέ μιν ἱερὸς αἰών,
τῶν οὔτις ψυχὴν κατάγει δόμον εἰς Ἀίδαο,
ἀλλ' αὐτοῦ πεπότηται ἐτώσιον, εἰσόκεν αὐτὴν
ἄλλο ἀφαρπάζῃ μίγδην ἀνέμοιο πνοιῇσιν·
ὁππότε δ' ἄνθρωπος προλίπῃ φάος ἠελίοιο,
ψυχὰς ἀθανάτας κατάγει Κυλλήνιος Ἑρμῆς
γαίης ἐς κευθμῶνα πελώριον.

Dieterichi igitur suspicione missa facta Rohde declarat: „Das gemeinsame Vorbild der 2 und 3 Fassung ist auch in den Theilen in denen es mit der 1 Fassung übereinstimmt nicht aus diesem geflossen, sondern aus einer älteren Urform" et duo olim archetypa fuisse censet quorum ad imitationem carmina pacta sint. Sed neque de archetypis neque de Ὀρφέως καταβάσει agendi hic locus esse videtur: quanta sit interpretum dissensio nonnullis testimoniis ostendisse satis sit, ut Dieterichi hypothesin non temere accipiendam esse in confesso sit.

§ 2. *Laminarum discrepantiam ad varias nascendi condiciones referendam esse negatur.*

Iam vero inter se duorum carminum argumenta conferre volumus; quae quantopere inter se discrepent, neminem qui ea attente legit, fugere potest. Sed simul miramur nonnullos versus duorum carminum prorsus idem sonare. Quam similitudinem et discrepantiam quomodo varii interpretes reconciliaverint nunc videamus. Qua de re Rohde fusius egit hunc in modum[1]: „Möglich wäre ja, dass die bescheidene Fassung den Glauben einer weniger kühn der eigenen Gottnatur und der Notwendigkeit endlicher Rückkehr der Seele zu freiem Gottesdasein vertrauenden Secte ausspreche. Viel wahrscheinlicher ist aber doch — da zumal die Voraussetzung göttlicher Natur der Seele und ihrer Gottesverwandtschaft in beiden Fällen die gleiche ist und mit gleichen Worten ausgesprochen wird —, dass wir überall in dem Glaubenskreise einer und derselben Secte festgehalten werden und die zu verschiedenen Höhen der Seligkeit aufstrebenden

[1]) Rohde, Psyche II p. 219/20.

Hoffnungen verschiedenen Stufen des Erlösungsganges entsprechen. Wer, durch seine Theilnahme an den heiligen Weihen, die alte Schuld gesühnt hat, den kann die Göttin zu dem Lustorte der Reinen im Inneren des Hades zulassen. Aber er muss in nachfolgenden Geburten auf der Erde erst den Kreis völlig durchmessen haben, ehe er gänzlich von Wiedergeburt befreit wird und nun ganz wieder ist, was er von Anbeginn war, ein Gott. Der Todte der ersten Tafel ist an dem Ziel seiner Wallfahrt angekommen, die der zwei anderen Tafeln erst auf einer Zwischenstation".

Quem interpretem equidem non omnibus in partibus sequi possum. Omnes enim istos mortuos fere eandem fidem professos esse concedo: quod eorundem deorum solemnis cum in laminis Thurinis tum in Romana illa invocatio sat liquide demonstrat. Quibus ex hominibus hunc tres Inferorum deos tantum invocasse, illum praeter hos Dionysum quoque Laconum in modum coluisse, unum quasi victorem mortis limen transgredi, alterum tertiumque supplices Inferos adire, sic interpretari non possumus, ut primum ad *μετεμψυχώσεως* finem venisse quem alii nondum assecuti sint faciamus. Nam si contendis supplices thiasotas credidisse vitam per *μετεμψύχωσιν* sibi continuandam esse, concludendum est eos aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habuisse; de omni enim *μετεμψυχώσει* ne una quidem in lamina quidquam legitur. Quod cum contra interpretes varios, Dielsium[1]),

[1]) Diels, Philotesia p. 44^{10} ad vocem q. e. *κύκλος* (Carm. A v. 6) adnotat „Der Orphisch-pythagorischen Metempsychose, die auch Empedocles (21 B 17, 13) *κύκλος* nennt" et hunc in modum interpretatur lam. Th. V versum quartum:

χαῖρε παθὼν τὸ πάθημα· τὸ δ' οὔπω πρόσθ' ἐπεπόνθεις.

Dieterichum, Gruppium [1]) contendam, meae opinionis rationem reddere debeo; meam igitur argumentationem videte.

Quaestio haec pendere videtur a recta interpretatione v. 6 carminis A:

κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυπενθέος ἀργαλέοιο.

Quae verba Dieterich [2]) contendit „ex eo dogmate, quod de migratione animarum constituerant, dicta esse". Omnia enim illustrari opinatur iis quae Diogenes Laertius VIII, 14 tradit de Pythagora: *πρῶτόν τέ φασιν τοῦτον ἀποφῆναι τὴν ψυχὴν κύκλον ἀνάγκης ἀμείβουσαν ἄλλοτε ἄλλοις ἐνδεῖσθαι ζῴοις* et verbis quae Proclus ad Tim. p. 330 A scripsit: [3])

„In den verschiedenen Stadien der Metempsychose ist die Seele bisher noch nicht zum letstem und höchstem, der Apotheose angelangt." Diels et ceteri interpretes errasse videntur propterea quod obliti sunt aliud Pythagoram Orphicosque, aliud Bacchicos voce q. e. κύκλος significasse et Italiae inferioris thiasotas Pythagorae Orpheique asseclas fuisse posuerunt. De v. 6 carm. A et lam. Th. V v. 4 vide infra cap. V § 2.

[1]) Gruppe in Roscheri lexico s. v. Orpheus p. 1125: „Dieser Kreislauf (Orph. fr. 226) der auch auf den Goldtäfelchen vorkommt, wird von Proklos ohne Frage richtig als κύκλος γενέσεως, d. h. als Kreis des Wiedergeborenwerdenmüssens erklärt."

[2]) Dieterich, Kl. Schr. p. 93.

[3]) Abel, Fragmenta Orphica, 226; Dieterich praeterea apponit Procl. ad Plat. remp. p. 116 (ed. Schoell) = Abel, Orphica, fr. 222/223:

Οὕνεκ' ἀμειβομένη ψυχὴ κατὰ κύκλα χρόνοιο
ἀνθρώπου ζῴοισι μετέρχεται ἄλλοθεν ἄλλος·

cf. Olympiod. ad Plat. Phaed. p. 70 c. Ὅτι παλαιὸς ὁ λόγος - Ὀρφικός τε γὰρ καὶ Πυθαγόρειος - ὁ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων καὶ τοῦτο κύκλῳ πολλάκις. (Abel, Orph., fr. 225)

Μία σωτηρία τῆς ψυχῆς αὕτη παρὰ τοῦ δημιουργοῦ προτείνεται τοῦ κύκλου τῆς γενέσεως ἀπαλλάττουσα καὶ τῆς πολλῆς πλάνης καὶ τῆς ἀνηνύτου ζωῆς, ἡ πρὸς τὸ νοερὸν εἶδος τῆς ψυχῆς ἀναδρομὴ καὶ ἡ φυγὴ πάντων τῶν ἐκ τῆς γενέσεως ἡμῖν προσπεφυκότων — πᾶσαν δὲ τὴν ζωὴν εἰς τὴν εὐδαίμονα περιάγουσα ζωὴν ἀπὸ τῆς περὶ τὴν γένεσιν πλάνης, ἧς καὶ οἱ παρ᾽ Ὀρφεῖ τῷ Διονύσῳ καὶ τῇ Κόρῃ τελούμενοι τυχεῖν εὔχονται:

Κύκλου τ᾽ αὖ λῆξαι καὶ ἀναπνεῦσαι κακότητος [1])

et Simplicii hac de re testimonio qui in Aristot. de coelo II p. 168 scripsit:

Ἐνδεθῆναι δὲ ὑπὸ τοῦ τὸ κατ᾽ ἀξίαν πᾶσιν ἀφορίζοντος δημιουργοῦ θεοῦ ἐν τῷ τῆς εἱμαρμένης καὶ τῆς γενέσεως τροχῷ, οὗπερ ἀδύνατον ἀπαλλαγῆναι κατὰ τὸν Ὀρφέα μὴ τοὺς θεοὺς ἐκείνους ἱλεωσάμενον, οἷς ἐπέταξεν ὁ Ζεὺς „κύκλου τ᾽ ἀλλῦσαι καὶ ἀναψῦξαι κακότητος" τὰς ἀνθρωπίνας ψυχάς.

Videamus quaenam ratio inter versum in lamina inscriptum et κύκλον τῆς γενέσεως a Proclo commemoratum intersit. Ex Simplicii verbis concludendum est Orpheum olim cecinisse hominum vitam identidem continuari, donec dei placati sint, quibus a Jove mandatum sit huic regenerationis orbi finem imponere. Dei quos hoc munere fungi credebant, Dionysus et Kora esse videntur; e Procli autem verbis concludo Orphicos solemnes hymnos cecinisse, et hos deos oravisse ut multis undique vitae malis cincti tandem aliquando e terrestris vitae necessitudine redimerentur.

Iam vero rogamus quidnam Italiae meridionalis thiasotis commune sit cum illis Orphicis. Nihil, ut opinor, nisi una vox κύκλος. At carminis contextus nihil de vita terrestri

---

[1]) Hemistichium ἀναπν. κακότ. Homericum est, cf. Iliad. XI 382.

per μετεμψύχωσιν continuanda habet[1]); ergo non est quod arbitremur κύκλον regenerationum orbem significare. Quodsi contendis κύκλον qui dicitur in lamina, κύκλῳ γενέσεως adaequandum esse, tamen laminarum discrepantiam non ita explanare possumus, ut Rohde putavit. Nam secundum eum mortui quorum in sepulcris carmina B et C inventa sunt, nondum ad animi migrationis finem venerunt; at isti non infinitas vitae necessitudines deprecantur, sed Proserpinam orant ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας εἰς εὐαγεόντων. Quod est eius qui ad omnis terrestris vitae finem se venisse credit. Quod Dieterichum non fugit qui recte adnotat „Anima quae illos lamellae versus clamat, *plane ex omni funesta migratione quod erepta sit, exsultat.*" [2])

Rohdii igitur sententia repudianda et concludendum est laminarum discrepantiam non ad varias nascendi condiciones referendam esse. Iam oritur suspicio omnes illos thiasotas eandem quidem fidem professos esse, sed eis non semper easdem de religione cogitationes intimas fuisse. Quaerendum igitur est utrum carmina eiusdem fere aetatis sint, an laminarum discrimen variis temporibus debeatur. Ergo tentare volumus quaenam temporis ratio inter tria exemplaria intersit; de duobus autem carminibus agitur, cum carmina B et C fere nihil inter se differant.

---

[1]) Thiasotas τὴν ἐν κύκλῳ περίοδον καὶ περιφορὰν παλιγγενεσίας (Porphyr. apud Stobaeum, Ecl. Phys. I, 52) non novisse ex huius dogmatis reticentia apparet.

[2]) Dieterich, Kl. Schr. p. 94; idem iterum asseveravit in commentatione: „Der Untergang der antiken Religion," Kl. Schr. p. 472: „Sie enthalten die Formeln, die der Tote bei der endgültigen Ankunft in der Unterwelt zu der Herrscherin drunten zu sprechen hat."

§ 3. *Quaeritur quaenam temporis ratio inter tres laminas intersit.*

Ad carminum tempora distinguenda primo indicia e singulorum sepulcrorum condicione, deinde e versuum scriptura, postremo ex sermonis varietate sumentur.

A. *De condicione sepulcrorum.*

Sepulcrum in quo carmen C inventum est, antiquius est isto in quo carmen A invenerunt. Quod e loci natura sequi Comparetti hunc in modum exposuit: [1]) „Che questa tomba fosse anteriore alla prima, lo prova sicuramente lo avervi trovato ad un livello superiore due strati naturali di terreno alluvionale e lo aver osservato che la prima tomba, posta ad un livello superiore era appunto stata incassata artificialmente in questi due strati." Tertium sepulcrum, in quo carmen B inventum est, post cetera duo fodere pergentes detexerunt. Cuius ab exteriore parte testa Lucana arte picta inventa est, quam saeculo III a. Chr. antiquiorem non esse Barnabei stilo et factura definivit; [2]) qua de testa hoc scripsit: „un piatto a figure rosse in fondo nero, di fabrica Lucana, portante nel mezzo un genio alato ermafrodito, con corona in mano, il quale piatto per lo stile e la fattura non può credersi anteriore al terzo secolo avanti l'era volgare." Carmen igitur B tertio saeculo laminae inscriptum, et eiusdem carminis alterum exemplar, C antiquius carmine A esse concludimus.

---

[1]) Comparetti, Lam. Orf. p. 22.

[2]) Barnabei, Notiz d. Sc. 1880 p. 155; cf. Comparetti, l.l. p. 20.

B. *De versuum scriptura*,

Hac de re Kaibel hunc in modum prolocutus est: „antiquius primum (A) est quod ad IV a. Chr. saeculum referri iubet ipsa ratio orthografica (*ΚΥΚΛΟ, ΙΜΕΡΤΟ, ΣΤΕΦΑΝΟ*) sed haud ita multo recentiora reliqua duo sunt, quod docet scripturae genus simillimum." Re vera literarum forma, tribus in laminis fere eadem, angulata est et omnis rotundatio deest. Quae forma angulata cum raro obvia sit in tertii saeculi papyris et rotundationi cesserit [1]), Murray recte observavit scripturam potius cum quarti quintique saeculi inscriptionibus quam cum Timothei papyro conferri posse. Concludimus igitur tria carmina fere eodem tempore literis mandata esse; quod quarto saeculo factum esse cum scriptura demonstret, testa illa Lucana docet carmen B tertio fere saeculo scriptum esse. Ergo B tertii saeculi ineuntis esse videtur, A et C quarti saeculi exeuntis.

Incertum autem est an Kaibel erraverit, qui propter scripturam *στεφανο*[*υ*], *κυκλο*[*υ*], *ἱμερτο*[*υ*] carmen A antiquissimum esse coniecit. Diphthongi enim *-ου* altera vocalis *-υ* et diphthongi *-οι-* altera vocalis *-ι* etiam aliis in laminis supprimitur [3]) (exempla vide apud Comparet-

---

[1]) Cf. Kenyon, Pal. Gr. Pap. 60 sq., tab. a. p. 218; Grenfell, Gr. Pap. II tab. 1; Comparetti p. 22.

[2]) Murray, l.l. p. 668.

[3]) Hoc tantum adnotamus literam-ν in Carmine A bis tantum omissam esse (v. 1 καθαρῶ[ν], χθον[ίων] sed aliis in duobus saepius suppressam esse, e.g. ὑμῶ, ἀγαυή, εὐαγειω, ὀλβιό, ἔργω, ποινά. Qua in re c. A ab aliis duobus differre videtur, quae ex communi archetypo descripta esse veri simile est; de scriptura ἀλά pro ἀλλά etc. cf. Comparetti p. 18.

tium qui totam hanc materiem cum pulvisculo excussit) et videmus aurificem [1]) in scalpendo multa peccasse.

C. *De sermonis varietate.*

Observamus in carmine A has dialecti Thurinae formas:

versu 1: *κοθαρῶν* et *κοθαρά;* eadem forma etiam in tabulis Heracliticis legitur [2]).

versu 3: infinitivus est *εἶμεν*; aliae autem laminae exhibent *εἶναι* per compendium scriptum, quam ob causam Kaibel recte coniecit haec duo carmina ex communi archetypo descripta esse.

versu 6, 7, 8 formae [3]) *ἐξέπταν, ἐπέβαν, δεσποίνας.*

versu 11: *ἔπετον.*

Duabus autem aliis in laminis nullum huius dialecti vestigium reperitur, praeter unum accusativum *ποινάν*; sed recte Hofmann [4]) adnotavit: „Die einzige dialectische Form, welche sich in den beiden andern (carm. B et C) findet, nämlich der Akkusativ *ποινάν* wird durch die danebenstehenden Formen *ἀγαυήν, εἶναι,* u. a. wertlos."

Concludimus igitur carmen A Thurina dialecto compositum esse; observamus autem etiam lam. Thur. IV nonnullas formas dialecticas exhibere: v. 4 *ἔπετες* et v. 2 (e Dielsii coniectura) *ἇς* = *ἕως* [5]).

---

[1]) Laminae aurificis mendis scatent; e.g. A v. 2 pars altera prave repetitur v. 4; v. 7 post v. 8 legitur iterum; sed vide tabulas photot. in editione Comparettii. (in quibus *εἶναι* per compendium scriptum esse videmus, vide infra C).

[2]) Cf. Thumb, Handbuch der gr. Dial. § 103.

[3]) Cf. Radermacher, Rh. Museum a. 1912 p. 474.

[4]) Hofmann ad Carmen A in Collitzii libro c. t. „Sammlung der Griechischen Dialekt-Inschriften" (cf. supra Prooem. p. 3).

[5]) Vide Caput V § 2. Ceterum cf. formae dialecticae in laminis Creticis.

D. *Conclusio.*

Diels omnes laminas quarti saeculi esse olim[1]) iudicavit sed nunc (in egregia textus editione) tertio et quarto saeculo asscripsit. Videmus autem hoc tempus non saeculis duobus terminari sed ad duorum decenniorum spatium potius redigendum esse, dico annos saeculi IV exeuntis et saeculi III ineuntis. Quam ad temporis rationem scripturae genus cum pictorum vasorum arte collatum nos deduxit. Palaeographicae enim rei rationem habendam esse opinor, etsi Reinach[2]) hoc negat, qui haec fere scripsit: „La date est donnée non par la paléografie des inscriptions, mais par la découverte de vases à figure rouge de style récent." Sed vasa picta per se spectata incerta indicia dant; vasorum enim arte ductus Cavallari[3]) laminam Th. quartam quinto saeculo ascripsit, deinde Lenormant[4]) anno fere 400 non antiquius ducendam esse edixit, postremo Comparetti[5]) saeculi quarti exeuntis esse suspicatur.

Cum carmina tantillo temporis spatio inter se distent laminarum discrepantiam non variis temporibus deberi apparet. Neque veri simile est circa a. 300 a. Chr. varias fuisse sectas thiasotarum; omnes enim eadem formula usi sunt ' *ἐκ καθαρῶν καθαρά* ' ex qua sequitur eos eorundem initiorum participes fuisse.

---

1) Anno 1907, Philotesia p. 43.

2) Reinach, Revue Archéologique, XXXIX, a. 1901 p. 202.

3) Cavallari, Notiz. d. Scavi, 1879, p. 552.

4) Lenormant, la Grande Grèce I p. 322.

5) Comparetti, Lam. Orf. p. 7.

§ 4. *Demonstratur thiasotas formula ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά usos eorundem mysteriorum participes fuisse.*

Primo enim notatu dignum est nomina hominum quorum in sepulcris laminae inventae sunt consulto reticeri. Cum autem antiqui moris fuerit ut hierophantae et dadouchi eadem oblivione tenerentur (qui [1]) ἐξ οὗπερ ὡσιώθησαν, ἀνώνυμοί τέ εἰσι καὶ οὐκέτι ὀνομαστοὶ ὡς ἂν ἱερώνυμοι ἤδη γεγενημένοι) ex hac nominum reticentia facile concluditur mortuos Thurinos omnes mysteriis initiatos fuisse. Deinde adnotamus mortuorum animas καθαράς dictas esse. Quod adiectivum idem ac aliud usitatius mystarum epitheton q. e. ὅσιος significare vulgo sumitur. Sic Dieterich formulam ἔρχομαι ἐκ κ. κ. interpretatus est [2]) „mysta sum, mysteriorum Orphicorum particeps sum, nam οἱ καθαροί iidem sunt atque οἱ ὅσιοι". Et recte quidem ille sumpsit ὁσίους mystarum Orphicorum nomen esse. In mentem nobis revocamus ὁσίους μύστας dici in Aristoph. Ranis, [3]) et Platonis locum, [4]) ubi Musaeus eiusque filius τοὺς δικαίους εἰς Ἅιδου ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας. Sic Orphicorum caerimoniae [5]) τελεταὶ ὅσιαι, et qui eorum participes [6]) sunt ὅσιοι μύσται in Hymnis Orphicis appellati sunt.

---

1) Lucianus, Lexiph. 10; cf. Kaibel, Epigr. Gr. 862 et 863, Eleusine.

2) Dieterich, Kl. Schr. p. 94.

3) Aristoph. Ran. v. 335; cf. Rohde, Psyche I 288¹ et Dieterich. Kl. Schr. p. 77.

4) Plato, Politeia II 363, c; cf. Harrison, Proleg. p. 478 et 501.

5) H. Orph. XLIII, 10.

6) H. Orph. LXXXIV, 3.

Rogatur iam fuerintne idem *ὅσιοι* et *κάθαροι*. Quod Dieterich sumpsit quidem, sed nullis argumentis demonstravit. Nobis igitur inquirendum est quidnam adiectivum q. e. *καθαρός* in lingua sacra significarit.

Duplex ei sensus subesse videtur: aut animi pietatem significat, aut hominem designat dignum cui *μυστηρίων μετουσία* detur. *Οὔτε γὰρ ἅπασι τοῖς βουλομένοις μ. μ. ἐστίν, ἀλλ' εἰσὶν οὓς αὐτῶν εἴργεσθαι προαγορεύεται, οἷον τοὺς χεῖρας καὶ τὴν φωνὴν ἀξύνετον ἔχοντας*[1]) et ab hierophantis et dadouchis Eleusiniis[2]) *τὸ κήρυγμα τοῦτο κηρύττεται· ὅστις τάς χεῖρας μὴ καθαρὸς .... ὅστις φωνὴν ἀξύνετος*. Quibus e locis luculenter apparet in lingua sacra adiectivum *κάθαρος* non semper mystas *ὁσίους* significasse, sed homines dignos quibus aditus ad mysteria permitteretur. Sed alia etiam huius adiectivi vis et potestas fuisse videtur: quid quod *ὁ μεμυημένος*[3]) *σύνεστιν ὁσίοις καὶ καθαροῖς ἀνδράσι*. Nonne elucet adiectivum q. e. *καθαρός*, ita ut *ὅσιος* quam aptissimum esse ad homines initiatos designandos?

Quam significationem si recte observatam habemus, intellegimus illud *καθαρά* cum verbis *ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν* quam artissime iungendum esse. Tale enim epitheton multo aptius esse videtur ad animi humani statum

---

[1]) Theo Smyrn. p. 22 ed. Dupuis, cf. Celsus apud Origin. III p. 147.

[2]) Libanius, Orator. Corinth. IV p. 356.

[3]) Plutarchi fragmentum servavit Stobaeus Flor. IV p. 107, sed Themistio ascripsit; Plutarcho suum reddidit Wyttenbach (ed. De sera numinis vindicta, p. 129 seq.), cui Volkmann (Plutarchs Leben I, p. 104 seq.) et Hartman (De Avondzon des Heidendoms, het leven en werken van den wijze van Chaeronea, II pag. 370; cf. p. 443—448) astipulantur. Plutarchi esse constare videtur; quod Maass (Orpheus p. 393—395) prave negavit.

describibendum quam ad Inferorum reginam ornandam [1]).

Cumque nulla lex metrica obstet quominus virgula non ante sed post vocem *καθαρα* ponatur, non est dubium quin verba *ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά* in unam formulam iungenda sint. Ergo neque Hofmann sequendus est qui *καθαρά* ad *χθονίων βασίλεια* traxit, neque Murray [2]) qui hunc versum vertit:

„I come from the Orphically initiated,
o Queen of the Orphically initiated,"

sed Rohde [3]) qui virgulam post adiectivum ponendam esse iudicat et Diels, qui vertit [4]):

„Rein aus der Reinen Gemeinde, so nahet die Seele der Toten
Euch, o Götter der Schatten, Persephone, Eukles, Eubouleus."

Qui cum nostro versu recte confert formulas *ἀγαθὴ κἀξ ἀγαθῶν, καλὴ κἀκ καλῶν;* nec minus recte Rohde [5]) affert:

---

1) Proserpina *ἀγαυή* dicitur carm. B et C v. 6: *νῦν δ' ἱκέτις ἥκω παρ' ἀγαυὴν Φερσεφόνειαν*; cf. Dielsii adnotatio „*παρ' ἀγαυὴν·* ΠΑΙ ΑΓΝΗ· *ἁγνὴν* las wohl der Schreiber" et cf. Diels, Philotesia p. 47: „Auch könnte Persephone nicht wohl in dem Sinne *καθαρά* heissen, wie die *Παρθένος* Athene einmal so genannt wird. Der hieratische Ausdruck *ἁγνὴ Περσεφονεία* der so oft gebraucht wird, bezeugt etwas ganz anderes".

2) Murray, l. l., p.. 668: „The rythm of the line points strongly to this. Only by a definitive system of punctuation, such as did not exist in ancient Greek, could you in such a sentence make a reader pause elsewhere than in de natural pause of the metre." Contra quem Diels fere haec: „Endlich kann auch der metrische Grund, der Einschnitt der Hauptcäsur nicht entscheiden, zumal der Halt ebensogut nach der Hephthemimeres erfolgen kann."

3) Rohde, Psyche II, 218².

4) Diels, Philotesia p. 46.

5) Rohde, Psyche II, 218¹.

κάκιστος κὰκ κακῶν (Soph. O. R. 137) *εὐγενὴς κἀξ εὐγενῶν* (Phil. 874). Cuius locutionis exempla plura facile inveniri possunt; cf. Soph., Phil. 385; Eur. Andr. 590: *ὦ κάκιστε κὰκ κακῶν*; locus *τῆς κλήσεως* c. n. *ΑΠΑΘΑΝΑΤΙΣΜΟΣ*:[1]) *γεννηθεὶς ἐκ θνητῆς ὑστέρας θνητός*.

Tamen differentiam inter hanc vitae cotidianae locutionem et formulam in literis sacris obviam esse observamus; in laminis enim et in Apathanatismo videmus nullam particulam *καὶ* intercedere, quae in locutione vulgari interponi solebat. Perraro autem accidisse videtur ut haec particula a scriptoribus profanis omitteretur; cf. Andocides, de Mysteriis, c. 17 § 54: *ὑμεῖς οὖν καὶ αὐτοὶ ὕστερον, κακῶν οὐκ ἐλαττόνων ἢ ἐκείνοις γεγενημένων, ἀγαθοὶ ἐξ ἀγαθῶν ὄντες ἀπέδοτε τὴν ὑπάρχουσαν ἀρετήν*. Qui locus ceteris exemplis supra allatis non similis est; hac enim in periodo *οἱ ἀγαθοί* quibus boni posteri nati esse dicuntur, iam nominati sunt „*ἐκείνων*".

Melior autem Dielsii versio mihi videtur quam illa Rohdii qui germanice haec fere habet[2]):

„Ich nahe mich euch, rein, von Reinen geboren," quibus addit: „von nächster Abstammung verstanden; fernere würde durch *ἀπό* bezeichnet. *καθαροί* heissen die Eltern, *καθαρά* die Seele des Todten selbst jedenfalls als in *τελεταί* der *χθόνιοι* «gereinigt, geheiligt»." Et recte[3])

[1]) Dieterich, Mithrasliturgie p. 4, v. 19.

[2]) Rohde, Psyche II, 217/218.

[3]) Cf. Plutarchi locus (de Iside c. 35) ubi Klea dicitur *ἀρχηγὸς μὲν οὖσα ἐν Δελφοῖς τῶν Θυιάδων, τοῖς δὲ Ὀσιριακοῖς καθωσιωμένη ἱεροῖς ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρός*. In Iobakchorum inscriptione, quam edidit Maass, Orpheus, p. 20/22, liberi qui *ἀπὸ πατρὸς ἀπογραφέσθωσαν* opponuntur *τῷ μὴ ἀπὸ πατρός*.

quidem ille quod ad praepositionis ἀπό usum attinet; sed de parentibus hic me iudice nulla fit mentio.

Quam vim Rohde praepositioni ἐκ attribuerit, nos non fugit, sed hic praepositionis usus non arguit nostram formulam nihil nisi parentes voluisse καθαρούς. Multo enim veri similius esse mihi videtur, homines nullo modo inter se agnatos cognatosve, sed variis ex familiis in sessiunculas et thiasos convenisse; quorum ex numero unum καθαρὸν ἐκ καθαρῶν dictum esse. Ergo thiasota qui nomen suum deposuit non parentum mentionem facit sed eorum qui ei nunc parentum loco sunt, i.e. synthiasotarum. An verba ἐκ καθαρῶν parentes significare censes et ἡ καθαρὰ ψυχή eum voluisse tibi videtur, qui ei πατρομύστης [1]) exstiterit? At istud nomen neque nostris in carminibus legitur, neque singulis mystis complures πατρομύσται sed suus cuique „pater" fuisse videtur. Quam ob causam post „ἐκ καθαρῶν" non πατρομυστῶν sed θιασωτῶν sive aliud eiusdem significationis nomen mente supplendum esse arbitror.

Videmus igitur nostra in formula ἔρχομαι ἐκ κ. κ. praepositionem ἐκ non parentes significare. Ut non homo mortalis sed immortalis anima, ita non parentes sed symmystae et synthiasotae, quibuscum mysta in aeternum se coniunctum esse credit, nominantur. Quibus Diels suum nomen „Gemeinde" reddidit.

Quas ob causas concludimus homines omnes eadem hac formula „ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά" usos, eandem

---

[1]) De patromystis in Mithrae mysteriis cf. Porph., de Abstin. IV, 16, de antro Nymph. c. 6; cf. Rohde, Psyche II 422, Dieterich, Mithrasliturgie p. 135 seq. Cf. scriptores de rebus Mithriacis quos enumerat Cumont, Die O. R. im R. H., p. 300 seq.

sectam secutos esse et eorundem mysteriorum participes fuisse. Cum constet laminarum discrepantiam ad variarum sectarum differentiam non referendam esse, denuo rogatur quam ob causam unus mysta gloriatus sit se deum ex homine factum esse, alter supplex Inferorum reginae benignitatem invocarit. Quo modo hoc aenigma solvendum sit ut reperiamus, de singulis carminibus fusius agendum est. Prius carmen B et C, quod *supplex* appello, deinde carmen A, quod *mysticum* dico, tractare volo; postremo [1]) demonstrare propositum est, quo modo factum sit ut carmina tantopere inter se differant.

---

[1]) Nullus interpres coniecit in mysteriis Thurinis varios initiationum gradus fuisse, praeter unum Dieterichum, qui obiter dixit (Mithraslit. p. 171): „ἔριφοι, nehme ich an, muss der Name einer Mystenklasse gewesen sein, eben der höchsten, die zu der Weihe der Unsterblichkeit zugelassen waren," sed hanc quaestionem non accuratius examinavit.. Mihi autem persuasum est variis gradibus carminum discrepantiam deberi; quod suo loco (cap. VI § 1) demonstrandum erit.

CAPUT IV.

De carmine supplici.

Carmen supplex incipit a solemni deorum invocatione: mystae anima quae ἐκ καθαρῶν καθαρά venit, Inferorum reginam, eius nuntium, maritum precibus adit. Quibus de deis supra (capite II) iam egimus et vidimus carminis supplicis et c. mystici idem esse initium. Versum igitur 1 et v. 2 partem priorem nunc denuo interpretari non opus est et statim ad sequentia transimus ut videamus quomodo carmen continuetur.

§ 1. *De versus 2 parte altera*:
ΚΑΙ ΟΣΟΙ ΘΕΟΙ ΔΑΙΜΟΝΕΣ ΑΛΛΟΙ.

Una cum tribus Orcinis deis mortui ceteros deos alloquuntur omnes, sed alius alium in modum eos invocat; carminis supplicis v. 2 legimus:

Εὔκλε καὶ Εὐβουλεῦ καὶ ὅσοι θεοὶ δαίμονες ἄλλοι·

Notatu dignum est in carmine B vocem ὅσοι excidisse et in carmine C θεοὶ ὅσοι scriptum esse. Carminis autem mystici v. 2 invocantur:

Εὐκλῆς, Εὐβουλεύς τε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

E versuum varietate facile iudicare possumus quid antiquitus scriptum fuerit. Nam ἀθάνατοι θεοί olim invocati fuisse videntur et elucescit thiasotas postea deos non iam hoc epitheto ornasse, sed δαίμονας appellasse.

Qua mutatione facta vox *ὅσοι* interposita est ne metrum corrumperetur, et scriptum est: *ὅσοι θεοὶ δαίμονες ἄλλοι.* Cum autem notum sit Orphicos praecipue *δαίμονας* pro deis invocasse,[1]) suspicio oritur carmen supplex Orphicum colorem duxisse; quamquam haec res minoris momenti esse videtur, cum nomen q. e. *δαίμων* passim variis deis,[2]) et in primis chthoniis deis tribuatur. Possumus ad Aeschyli versus relegare qui sunt:[3])

Ἀλλά, χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί,
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων,
πέμψατ' ἔνερθε ψυχὴν ἐς φῶς·

Ergo ex eo quod in adiectivi q. e. *ἀθάνατοι* locum nomen q. e. *δαίμονες* venit, minime sequitur ut carminis mystici archetypus antiquior fuerit.[4])

---

[1]) Cf. Harrison Prol. p. 588 et 625.

[2]) *εἰδέναι τὰ δαιμόνων* est *θεῶν ἐπίστασθαι περί* (Eurip. Philoct. fr. 793 Dindorf) et *Ἥλιος* a mortalibus *Ἀπόλλων* dicitur, qui noverunt *τὰ σιγῶντ' ὀνόματα δαιμόνων* (Eurip. Phaeth. fr. 781 Dindorf).

[3]) Aesch. Pers. 631 seq.; cf. Proclus, Comm. in Alcib. I: *ἐν ταῖς ἁγιωτάταις τῶν τελετῶν πρὸ τῆς θεοῦ παρουσίας δαιμόνων χθονίων ἐκβολαὶ προφαίνονται.*

[4]) Observamus Caeciliam Secundinam, eosdem deos Orcinos precatam, alia numina silentio praeteriisse; solemnem enim invocationem in lamina Romana sequuntur verba haec:

(Εὔκλεες, Εὐβουλεῦ τε), Διὸς τέκος ἀγλάα, ἔχω δὲ
Μνημοσύνης τόδε δῶρον κ.τ λ.

quae verba scrupulum nobis iniciunt, cum neque perspicuum sit utrum Persephone an ipsa Caecilia *τέκος Διός* dicta sit, neque adiectivum feminini generis eleganter cum substantivo neutrius generis (*τέκος*) coniunctum sit. Quas ob causas vereor ne versus corruptus sit. Adiectivi autem *ἀγλάα* syllabae ultimae *-α* apocope suspicionem non movet; versu 4 enim est δῖα; ceterum cf. Diels, Philotesia p. 47[19]:

§ 2. *De carminis supplicis versibus 3 et 4.*

Solemnem Inferorum invocationem carminis supplicis versus hi sequuntur:

3 *καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος εὔχομαι ὄλβιον εἶναι,*
4 *ποινὰν δ' ἀνταπέτεισ(α) ἔργων ἕνεκ(α) οὔτι δικαίων*
5 *εἴτε με Μοῖρ(α) ἐδαμάσατο(?) [···*
6 *···] στεροπῆτι κεραυνῶι.*

quibuscum conferendi sunt c. mystici versus:

3 *καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν,*
4 *ἀλλά με Μοῖρ(α) ἐδάμασσε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι*
5 [···] *καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνόν.*

His carminum partibus argumentum non ita diversum esse videtur, quo accedit quod utrumque eodem loco corruptum est; interpretes enim inter se consentiunt [1]) c. A. v. 4 partem alteram *καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι* ex v. 2 prave repetitam ideoque delendam esse. Quas ob causas facile eo ducimur ut Radermacherum sequamur, qui omnia diligentissime perpendens inter mystici carminis v. 1—5 et supplicis c. v. 1—6 nullum esse discrimen opinatur, nisi unum illum versum interpositum.

Mihi autem praestare videtur de utriusque carminis versibus singulis agere.

„es sollte heissen Διὸς τέκος ἀγλαόν wie Νέστορος ἀγλαὸς υἱός, Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε, dann freier im Hermeshymnus 395 ἀγλαὸς Ἑρμῆς. Die metrische Richtigkeit wird notdürftig durch die Apokope des ungriechisch verkürzten Endvokals hergestellt ἀγλά' ἔχω δέ. Diese in v. 4 wiederkehrende Verkürzung des auslautenden α ist offenbar auf italischen Einfluss zurückzuführen" et eiusdem adnotatio, Fr der Vors. II p. 177: „ἀγλαά nach römischer Weise verkürzt? richtig wäre ἀγλαόν."

[1]) Praeter Dielsium.

A. *De versu tertio:*

ΚΑΙ ΓΑΡ ΕΓΩΝ ΥΜΩΝ ΓΕΝΟΣ ΕΥΧΟΜΑΙ ΟΛΒΙΟΝ ΕΙΝΑΙ.

Carminis supplicis versus 3 mystici c. v. 3 simillimus est, ex quo literae facile supplentur [1]) quae corruptae sunt. Animam nunc audimus divina origine gloriantem, idque hunc in modum ut singuli dei parentes non numerentur. Sententia igitur simplex est, a communi hominum sensu non abhorret, omnibus convenit qui se a deis prognatos esse unquam professi sunt. At peculiarem eiusdem modi sententiam laminis Creticis [2]) inscriptam legimus hanc:

τίς δ' ἐσί; πῶ δ' ἐσί; γᾶς υἱός ἠμι καί ὠρανῶ ἀστερόεντος

et Petelina in lamina [3]) anima Mnemosynae fonti appropinquans custodes alloqui iubetur:

Γῆς παῖς εἰμι καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
αὐτὰρ ἐμοὶ γένος οὐράνιον· τόδε δ' ἴστε καὶ αὐτοί.

Quae sententia Titanas nobis in mentem revocat, qui in literis Orphicis [4]) *ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων* invocabantur et quos Cretenses dicebant [5]) *τῆς Κνοσσίας χώρας*

---

[1]) In B scriptum esse videtur: ... ΓΕΝΟ ΕΥΧΟΜΑΙ ΟΛΒΙΟΙ ΕΙΝΑΙ in C: ΓΕΝΟΣ ΕΥΧΟΜΑΙ ΕΙΝΑΙ ΟΛΒΙΟ. Cf. A. *γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν* (Buecheler emendare voluit *γένος, ὄλβιοι, εὔχομαι εἶμεν*, sed nihil mutandum est).

[2]) Diels l. l. 17a, v. 3; tres laminas Creticas Joubert olim (Bull. de C. Hellén. 1893 p. 177) saeculo 2 post Chr. ascripsit; sunt autem saeculi 2 ante Chr. (cf. Foucart, Recherches sur ... p. 69 et Diels l.l.).

[3]) Diels, no. 17, v. 617.

[4]) H. Orph. XXXVII, v. 2.

[5]) Diod. Sic. V, 66; cf. Rapp in Roscheri lexico s.v. Rhea p. 96 et Lobeck, Aglaoph. p. 1128.

ἔχειν τὴν οἴκησιν ὅπου περ ἔτι καὶ νῦν δείκνυται θεμέλια Ῥέας οἰκόπεδα, καὶ κυπαρίσσων ἄλσος ἐκ παλαιῶν χρόνων ἀνειμένον... *ὡς μέν τινες μυθολογοῦσιν, Οὐρανοῦ καὶ Γῆς ὄντας.*

Quid quod nonnulli laminarum interpretes fecerunt mortuos Petelinos et Cretenses credidisse Titanico genere se ortos esse et Orphei de hominum ex favilla Titanum ortu et origine dogma [1]) toto pectore amplexos esse.

Orpheus enim docuit: in nostrum omnium corpore Bacchi tantillam partem inesse: [2]) *ὡς τοῦ σώματος ἡμῶν Διονυσιακοῦ ὄντος, μέρος γὰρ αὐτοῦ ἐσμεν, εἴγε ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν Τιτάνων*

[1]) E. Luebbert, (commentatio de Pindaro theologiae Orphicae censore, in indice lect. Bonnensi hibern. 1888/89 p. X; cf. Holwerda. De Theogonia Orphica, Mnemosyne, nova series, volumen vicesimum secundum, a. 1894, p. 366 § 43-50; Dieterich, Kleine Schriften p. 71; Rohde, Psyche II 119 et 132[1].) Orphicum dogma luculenter exposuit hunc in modum: „Hoc placito communionem quandam hominum mortalium cum Baccho indicari manifestum est, quoniam Titanes e quorum cineribus homines orti sunt Bacchi carnibus sese ingurgitarant. Itaque in hoc dogmate tamquam in dilecto aliquo nemore maxime Orphici expatiantur et luxuriantur, hoc illis pulcherrimae spei pignus est. Testis vero eximii huius placiti potissimum Olympiodorus est in scholiis ad Platonis Phaedonem. Haec scholia ediderunt Andreas Mustoxydes et Demetrius Schinas in opere Συλλογὴ Ἑλληνικῶν Ἀνεκδότων, Venetae 1816; ubi in fasciculo mensis Julii Ὀλυμπιοδώρου φιλοσόφου σχόλια leguntur. Iam ad notissimum in Phaedone locum p. 61 c. quo contra voluntariam mortem disseritur: *οὐ μὲν οὖν βιάσεταί αὑτόν· οὐ γὰρ θεμιτόν* Olympiodorus haec adnotavit p. 3 extrem.: *Ὧν σύμβολον ἡ τοῦ Διονύσου βασιλεία· διὸ καὶ σπαράττεταί τι . . . καὶ τὰς σάρκας μασῶνται οἱ Τιτᾶνες, τῆς μασώσεως δηλούσης τὸν πολὺν μερισμόν.* Deinde de hominum primorum ortu clarissume ex Orphei sententia ibid. p. 3 med.: *Μετὰ δὲ τὸν Κρόνον ὁ Ζεὺς ἐβασίλευσε . . . εἶτα τὸν Δία διεδέξατο ὁ Διόνυσος, ὅν φασι κατ' ἐπιβουλὴν τῆς Ἥρας τοὺς περὶ αὐτὸν Τιτᾶνας σπαράττειν καὶ τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ἀπογεύεσθαι· καὶ τούτους ὀργισθεὶς ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσε καὶ ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν ἀτμῶν τῶν ἀναδοθέντων ἐξ αὐτῶν ὕλης γενομένης γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους.*"

[2]) Olympiodorus, ad Platonis Phaedon. 61.

συγκείμεθα γευσαμένων τῶν σαρκῶν τούτου. Orphicum igitur de morte Bacchi et Titanum suppliciis dogma hunc potissimum finem spectat, ut ex Bacchi caede genus hominum ortum esse appareat et „ut [1]) Bacchus eum in modum trucidatus, deinde ex morte expergefactus et resurgens palingenesiae et immortalitatis sponsor et vindex certissimus informetur."

Iam quaeritur hoccine dogma Orphicum Petelinis et Cretensibus innotuerit. Quod admodum dubium esse mihi videtur. Nihil enim de Titanibus eorumque κεραυνώσει in laminis legitur, quamquam mortui eandem ac Titanibus Creticis originem sibi esse gloriati sunt.

Versus autem Creticis laminis inscriptus mirum in modum consonat cum Euripidea sententia [2]) κοινοὺς ἁπάντων — γονεῖς οὐρανὸν καὶ γῆν esse; quod fragmentum ex ipsa Cretensium fabula esse videtur [3]). Euripides igitur Cretenses eandem sententiam professos fecit quam in laminis Creticis et Petelina legimus. Quem autem locum Titanes Cretici olim incoluerunt postea quoque κυπαρίσσων ἄλσει distinctum fuisse Diodorus narrat. Quae arbor quanto in honore apud Cretenses Petelinosque non tunc temporis solum sed etiam antiquitus fuerit vel inde apparet quod Cretenses, quorum in sepulcris laminae inventae sunt, cypressum perenni Mnemosynae fonti appositam, Petelini albam cypressum prope Lethae fontis ripam collocatam esse crediderunt. In Euripidis autem Creten-

---

1) Luebbert, l.l. p. III.

2) Porph. de Abstinentia III, 25; cf. Eur. fr. 484 (Melanippe) et fr. 1004: Αἰθέρα καὶ Γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω (Wünsch, Rhein. Mus. 49, a. 1894, p. 96).

3) Cf. Wilamowitz, Ind. lect. Gott. aest. 1893 p. 17 et Dieterich, Nekyia p. 100/101.

sium fabula [1]) Jovis Idaei mystae in scenam prodeunt ex templo, quod tignis tectum est cyparissiis. Eandem arborem Pythagoreos sacram habuisse scimus; Pythagoras [2]) enim *κυπαρισσίνην δὲ μὴ δεῖν κατασκευάζεσθαι σορὸν ἀπαγορεύει διὰ τὸ κυπαρίσσινον γεγονέναι τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον ἢ δι᾽ ἄλλον τινὰ μυστικὸν λόγον* [3]). De quo praecepto Lobeck [4]) scripsit „quod sine dubio eo propositum est consilio ut homines a vanissimo avocaret genere sumptuum, quod mortuorum honori tribuitur." Quocum Boehm [5]) facit qui opinatur Pythagoram monere voluisse ut parsimoniae studerent neque in mortuis efferendis nimia luxuria uterentur. Sed Thomas Aldobrandinus [6]) Pythagorei symboli rationem melius perspexisse videtur. Qui Jovis sceptrum idcirco e cypresso factum esse putavit „quod in Creta, quae Jovi sacra est, maximae cypressi gignuntur, et sic quidem ut Plinius, libro XVI, c. 33 Cretam patriam harum arborum insulam appellet." Ergo nonne

---

[1]) Eur. Cretenses, fr. 475a, chorus venit:

ναοὺς προλιπών,
οὓς αὐθιγενὴς τμηθεῖσα δοκὸς
στεγανοὺς παρέχει Χαλύβῳ πελέκει
καὶ ταυροδέτῳ κόλλῃ κραθεῖσ᾽
ἀτρεκεῖς ἁρμοὺς κυπαρίσσου.

[2]) Iambl. V. Pyth., V, 155 = Hermippus apud Diogenem Laertium, VIII, 10.

[3]) Cf. Iambl. V. P. 154: Pythagoras iussisse dicitur *κέδρῳ καὶ δάφνῃ καὶ κυπαρίττῳ καὶ δρυὶ καὶ μυρρίνῃ τοὺς θεοὺς τιμᾶν καὶ μηδὲν τούτοις ἀποκαθαίρεσθαι τοῦ σώματος μηδὲ σχινίζειν τοὺς ὀδόντας.* (vide supra cap. I § 2 B)

[4]) Lobeck, Aglaoph. p. 896.

[5]) Boehm, De symbolis Pythagoreis p. 32.

[6]) Thomas Aldobrandinus ad Laertii locum VIII, 10 in editione Marci Meibomii.

facile creditu est Pythagoreos cum illam de coelo terraque hominum parentibus sententiam, tum mysticum de cypresso symbolum a Cretensibus sibi ascivisse? Porphyrius [1]) narrat Pythagoram in Cretam venisse, Morgi mystas adiisse, in Idaeum antrum descendisse, Jovis thronum spectasse et in eo epigramma inscripsisse:

ὧδε θανὼν κεῖται Ζάν, ὃν Δία κικλήσκουσιν

deinde in Italiam se contulisse et Crotoniatum in civitate domicilium collocasse. Quam narrationem Harrison [2]) commemorans coniecit Pythagoram a Creta in Italiam ritus Orphicos transtulisse. Nobis autem praestare videtur neque de Porphyrii fide historica disputare neque quaerere utrum ipse Pythagoras an asseclae eius nonnullas cogitationes sacras a Cretensibus sibi asciverint [3]).

Sed unde abii, redeo: Petelini Cretensesque, prorsus eodem modo ac Titanes Coelo Terraque parentibus se ortos esse crediderunt, sed neque ipsi mortui in laminis dicunt se a Titanibus ortum cepisse, neque argumentis probabilibus demonstrari potest Orphicum dogma de hominibus e Titanum κεραυνώσει ortis in eos cadere. Longe autem aliter hac de re Harrison [4]) iudicat, quae carminis supplicis v. 3 britannice vertens:

---

[1]) Porphyrius, V. Pyth. 17.

[2]) Harrison, Prol. p. 598: „Found as they are in Crete and Lower Italy, it is more probab e that these tablets refer to Orphic mysteries pure and simple before Orphic rites have blended with those of the Wine-God. (Sequitur Porphyrii narratio de Pythagora). The story looks as if Pythagoras had brought to Italy from Crete Orphic rites in all their primitive freshness."

[3]) Cf. Rohde, Psyche I, 130, Der Griechische Roman[2], p. 273.

[4]) Harrison, Prol. p. 588.

„For I also avow me that I am of your blessed race" ex dogmate, quod Orphici de humani generis ortu et corpore dionysiaco constituerant, dictum esse contendit. Vide eius interpretationem: „By this (v. 3) he means that some portion of the god Zagreus or Eubouleus or whatever he be called was in him; his fathers the Titans had eaten the god and he sprang from their ashes. That this is the meaning of the tablets is quite clear from the words:

„But Fate laid me low — star flung thunderbolt."

Cui interpreti Comparetti[1]) et Gruppe[2]) astipulantur, quorum ex sententia non Petelini Cretensesque solum sed Thurini etiam e Titanum cruore cum cinere commixto se ortos esse dixerunt.

Quam interpretationem Delatte[3]) reicit, qui putat sententiam de animi origine laminis nostris inscriptam ab Orphica doctrina prorsus diversam esse et consonare cum Empedoclis sententia, qui cecinit antiquum deorum decretum, animam humanam e beatorum sedibus relegatam esse; versum igitur

ποινὰν δ' ἀνταπέτεισ' ἔργων ἕνεκ' οὔτι δικαίων

cum Empedoclis versibus[4]) confert:

Ἔστιν Ἀνάγκης χρῆμα, θεῶν ψήφισμα παλαιόν,
ἀίδιον, πλατέεσσι κατεσφρηγισμένον ὅρκοις,
εὖτε τις ἀμπλακίῃσι φόνῳ φίλα γυῖα μιήνῃ,
[Νείκεϊ θ'] ὅς κ(ε) ἐπίορκον ἁμαρτήσας ἐπομόσσῃ,
δαίμονες οἵτε μακραίωνος λελάχασι βίοιο
τρίς μιν μυρίας ὥρας ἀπὸ μακάρων ἀλαλῆσθαι,

---

1) Comparetti, Lam. Orf. p. 26.
2) Gruppe, Berl. Philol. Wochenschr. 1912 p. 103 seq.
3) A. Delatte, Musée Belge, 1912 p. 126.
4) Diels, fr. 115, v. 1—6; cf. v. 13: φυγὰς θεόθεν καὶ ἀλήτης.

et adnotat cum in laminis tum in Empedoclis versibus de pristina animae beatitudine, de eius sceleribus, de Fati destinato, de animae exilio agi. Hactenus igitur Delatte Dietericho[1]) astipulatur, qui laminae versum refert ad Pythagorae et Orphei placita, ex quibus homines „non modo scelerum et male factorum, sed etiam culpae cuiusdam primigeniae poenam luunt; inde factum est ut haec terrestris vita ipsa poena esset *παλαιοῦ πένθεος*, quae iam Plato (in Cratylo p. 400 c) Orphicis imputat."

Dieterich autem non solum Empedoclis versus sed etiam duos locos Pindari[2]) citat, qui sunt:

οἷσι δὲ Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος
δέξεται, ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ ἔτει
ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν . . . ἐς δὲ τὸν λοιπὸν ἥρωες ἁγνοὶ
πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται.[2])

et [3]):

οἶδεν τὸ μέλλον
ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες,
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρᾷ
λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.

---

[1]) Dieterich, Kl. Schr. p. 93/94.

[2]) Threni fragmentum in Platonis Menone p. 81 B traditum, in Bergkii lyr. Gr. I^4 428. Dieterich l.l. et Nekyia p. 108/109.

[3]) Pind. Ol. II 63; vide Procli Hymnum IV, 8 seq:

μηδέ με ληθαίοις ὑπὸ χεύμασιν οὐλοὰ ῥέζων
δαίμων αἰὲν ἔχοι μακάρων ἀπάνευθεν ἐόντα,
μὴ κρυερῆς γενέθλης ἐνὶ κύμασι πεπτωκυῖαν
ψυχὴν οὐκ ἐθέλουσαν ἐμὴν ἐπὶ δηρὸν ἀλᾶσθαι
ποινή τις κρυόεσσα βίου δεσμοῖσι πεδήσῃ.

Quos Pindari locos Delatte silentio praetermittens c. supplicis v. 3—6 et c. mystici v. 3—5 ita interpretatur ut animus eo ipso poenas persolvat quod a fulmine in terram deiciatur. Quod ut demonstret, nos relegat ad Platonis locum [1]) quo dicitur media nocte *βροντήν τε καὶ σεισμὸν γενέσθαι καὶ ἐντεῦθεν ἐξαπίνης ἄλλον ἄλλῃ φέρεσθαι ἄνω εἰς τὴν γένεσιν, ᾄττοντας ὥσπερ ἀστέρας* et ad symbolum Pythagoreum [2]) quod est hoc: *ὅταν δε βροντήσῃ τῆς γῆς ἅψασθαι περιήγγελλε* (scil. Pythagoras), *μνημονεύοντας τῆς γενέσεως τῶν ὄντων.* Quam sententiam Delatte his verbis enuntiat: [3]) „c' est la theorie orphico-pythagoricienne bien connue de la nature divine de l' âme humaine et d' une faute originelle qui la précipite sur la terre pour expier son crime. — Nous sommes en présence d' une théorie mystique sur la signification du tonnerre qui fut commune aux Orphiques et aux anciens Pythagoriciens. Ceux-ci recommandaient en effet de toucher la terre en se rappelant la naissance des êtres quand on entend le tonnerre: il s'agit là d'un souvenir pieux accordé au mystère de la descente des âmes sur la terre."

Delatte autem errare mihi videtur cum symbolum Pythagoreum de tonitru prave interpretatus sit. Pythagoras enim nullam hominum originis mentionem fecit; *τῶν ὄντων* genitivus neutrius generis pluralis est, non de

---

[1]) Platon. Pol. X, 621 B; Delatte Allinium laudat qui Platonis locum iam contulerat; Alline autem scripsit disputationem c. t. „Le Paradis Orphique et la formule: *ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον*", Xenia, Athènes a. 1912 p. 94—107.

[2]) Legitur Iambl. V. Pyth, 156, cf. Boehm, De Symbolis Pythareis p. 54/55.

[3]) Delatte, l.l. p. 126/127.

hominum sed de rerum[1]) principio hoc praeceptum est. Nunc autem ad Harrisoniae commenta revertor, quae mihi redarguenda esse videntur aliam ob causam. Verendum enim est ne mulier docta in v. 4 et 5 c. mystici = 5 et 6 c. supplicis interpretandis praecedentium versuum rationem non habuerit. Ergo alteram solemnis Inferorum invocationis partem ei in mentem revocatam volo, qua non Eubouleus solum sed omnes alii dei invocantur; erraverunt igitur qui contenderunt mortuos dicere se Euboulei sive Dionysi corporis participes esse. Quamquam minime me fugit talem doctrinam Orphicam olim fuisse, intellego eam in Italia inferiore non viguisse sed oblivione obrutam esse. Haec enim peculiaris de hominibus ab Eubouleo prognatis sententia in circulis Pythagoreis non floruit, sed generalis illa quae vulgo Pythagoreis ascribitur in laminis Thurinis legitur; in quas Ciceronis verba cadunt, quae Catonem locutum facit: [2]) „Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus". Ciceronem autem Graecas literas diurna et nocturna manu versantem quis hac in re falsi arguere potest? Immo laminae

---

[1]) In mentem venit agricolarum, qui *τὰ ἀστραπαῖα τῶν ὑδάτων εὐαλδῆ καλοῦσι καὶ νομίζουσι* et Plutarchi sententia *ὅτι ταῖς βρονταῖς πολλάκις ὕδωρ συνεκπίπτει γόνιμον* quam scripsit Quaestionum convivalium L. IV c. 2; idem autem narrat (c. 3) hominem quemdam, quem fulmen dormientem transvolasset, accessisse ad philosophum Pythagoricum ab eoque causam quaesivisse, *τὸν δὲ κελεύσαντα καθ' ἑαυτὸν ὁρᾶν καὶ προσεύχεσθαι τοῖς θεοῖς.*

[2]) Cicero, Cato Maior c. 21 § 78; cf. Cic. De Natura Deorum I, 27; Ritter et Preller, Historia Philosophiae Graecae § 73.

Thurinae confirmant sententiam quam Catonem olim audisse fecit et Catonis aetate Pythagoream doctrinam Romae non ignotam fuisse credo, cum lamina aurea in Caecilae Secundinae sepulcro inventa saeculo 2 a. Chr. ascribenda sit. [1])

Ergo antiquam illam doctrinam quam Harrison Orphicorum e scrinio in lucem protulit missam facere praestat. Cuius nonnullae parvae admodum reliquiae quamquam fortasse posterorum in mente haeserunt, si ad carmina nostra interpretanda adhibentur, plus caliginis quam lucis afferunt.

Neque Harrison neque Delatte c. supplicis v. 5/6 = c. mystici v. 4/5 recte interpretari videntur, cum de animi origine hic agi putent, quamquam ipsa verba *μοῖϱ᾽ ἐδάμασσε* satis perspicua sunt. Quae graece, nisi fallor, nihil aliud quam „Fatum interemit" significant. Ergo mutilis horum versuum reliquiis describitur quid animo sub vitae finem evenerit et quo modo mortis limen transgressus sit.

B. *De versu quarto:*

ΠΟΙΝΑΝ ΔΕ ΑΝΤΑΠΕΤΕΙΣΑ
ΕΡΓΩΝ ΕΝΕΚΑ ΟΥΤΙ ΔΙΚΑΙΩΝ.

Ipsa autem vita quam Thurinus ille in terra degit, versu quarto descripta est; in lamina Thurina altera scriptum est:

ΠΟΝΑΙ ΔΑΝΤΑΠΕΙΤΕΣΕΙ
ΕΡΩΙ ΕΝΕΚΑ ΟΥΤΙ ΔΙΚΑ.ΩΝ

---

[1]) Cf. Murray, l.l. p. 673 et Comparetti „Atene e Roma" LIV et LV a. 1903.

et in lamina Th. tertia:

ΠΟΙΝΑΝ ΝΑΤΑΠ
ΕΤΕ ΕΡΓΩ ΟΤΙΔΙΚ
ΑΩΝ

quod hunc in modum vulgo emendatur:

(l. Th. 2) πο[ι]νά[ν] δ' ἀνταπέτεισ'
ἔργω[ν] ἕνεκ' οὔτι δικα[ί]ων

(l. Th. 3) ποινὰν [δ'] ἀ[ν]ταπέτε[ισ']
ἔργω[ν ἕνεκ'] ο[ὔ]τι δικα[ί]ων.

Qui versus, quamquam textus magnopere mutilatus est, hoc aperte enuntiat, animum terrestrem vitam in aerumnis degisse, et has vitae calamitates tamquam iniuriarum poenas sibi solvendas tulisse[1]). Videmus autem verbum ἀποτίνειν cum praefixo ἀντι- compositum esse, eique verbo composito praepositionem ἕνεκα additum esse. Qualis constructio pleonasmo laborare videtur. At sententia quae hoc versu legitur a fronte illi opposita est quam praecedente versu legimus, cum hi versus nullo modo inter se iuncti sint nisi vocabulo δέ. Quam ob causam restituo δ' αὖτ' ἀπέτεισ' pro lectione tradita δ' ἀνταπέτεισ'; quae lenissima medela versum pleonasmi vitio liberat et efficit ut sententiarum differentia magis eluceat. Ergo Comparetti non sequendus est, qui c. C v. 4 literam ν supplevit; mea autem coniectura pro mutilato textus statu vix temeraria dici potest.

---

[1]) Vide infra cap. VI § 1 B (carminis supplicis et mystici comparatione ad finem perducta apparebit aliam interpretandi viam patere).

§ 3. *De versibus 5 et 6.*

A. *De lectione tradita.*

Deinde v. 5 et 6 sequuntur, quibus describitur quo modo homo mortis limen transgressus sit. Sed antequam sententiam explanare et definire possimus quae his versibus subest, videndum est quae literae in laminis legantur.

In l. Th. altera est:

ΕΙΤΕΜΕ ΜΟΡΑ ΕΔΑΜΑΣΑ?ΟΝ
ΕΙΤΕ ΑΣΤΕΡΟΠΗΤΙ ΚΡΑΥΝΩ

(quo loco signum interrogationis posui, scripta est quae Barnabeio litera *Τ*, Comparettio litera *Υ* esse videtur: mihi autem neque *Τ* neque *Υ* esse videtur) et in l. Th. tertia:

Ε Τ ΜΕ ΜΟΙΡΑ
ΕΤΕΡΟΠΗΤΙ ΚΗ ΚΕΡΑ
ΥΝΟ

Quos versus alii alio modo emendare conati sunt; variorum interpretum emendationes nunc perlustrare volumus:

O. Hofmann unum esse versum arbitratur, quem hanc in formam restituit:

εἴτε με μοῖρ' ἐδάμασσ' εἴτ' ἀστεροπῆτα κεραυνῶν.

Cui Rohde, Dieterich, Radermacher astipulantur. Quod nominativum [1]) *ἀστεροπῆτα κεραυνῶν* in altera versus parte fuisse coniciunt, iam statim observamus substantivi q. e. *ἀστεροπητής* nominativum in *-α* nusquam in literis Graecis legi; quamquam concedo non esse incredibile

---

[1]) Hofman l. l. „*ἀστεροπητής*, Blitzschleuderer ist ein homerisches Beiwort des Zeus, dessen alter, ohne *σ* gebildeter nominativ *ἀστεροπῆτα* lauten würde."

hanc formam olim exstitisse, alia est causa ob quam hanc coniecturam improbem. Utrumque enim carminis exemplar dativum [ἀσ]τεροπῆτι exhibet et in mutilis versus reliquiis hunc dativum non mutare sed ab ipso adiectivi q. e. ἀστεροπής dativo proficisci mihi pristinam lectionem enucleanti praestare videtur. Quod adicitivum, etsi aliunde notum non est, a substantivo ἀστεροπή derivatum et aptum Κεραυνοῦ epitheton esse videtur.

Diels duos esse versus arbitratur, alterius initium εἴτε με Μοῖρ'(α) ἐδαμάσατο(?), alterius exitum στεροπῆτι κεραυνῷ esse arbitratur. Qui recte dativum in -ῆτι exeuntem servasse, sed prave literam initialem α- omisisse videtur. Quod aoristum medii scripsit, laudandum est eum conatum esse literas *Α? ΟΝ* in integrum restituere, quas Hofmann e textu eiecit. Sed Dielsii coniectura accepta, obscurum est unde litera ista *Ν* in textum irrepserit; notatu autem dignum est aoristum activi usitatiorem [1]) esse quam aor. medii. Recte igitur Diels formae ἐδαμάσατο signum interrogationis apposuit.

Comparetti legendum proposuit:

εἶτ' ἐμὲ μοῖρ' ἐδάμασσ' αὖον στεροπή τε κεραυνοῦ.

quod vertit „la Moira mi abatte e mi inarridi". Hic quoque dativum nominativo prave mutavit, quod Gruppium [2]) non fugit, qui legere mavult:

εἶτ' ἐμὲ μοῖρ' ἐδάμασσ' αὖον στεροπῆτι κεραυνοῦ

---

1) Cf. Hom. Σ 119, χ 413; Arg. Orph. x. 143; cum c. A. versus initio 'Αλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε... cf. inscriptio quam Keil et Premerstein (Reise in Lydien, Wien. Denkschriften, 1911, p. 64 no. 134) ediderunt (cf. G. Seure, Revue Arch. a. 1913, p. 249):

'Αλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε κακή, ἣν ἐκφυγέειν μόνον οὐκ ἦν.

2) Gruppe, Berl. Phil. Wochenschr. 1912 p. 10.

et vertit: „Darauf (nach meiner Verstossung in die gesonderte Welt) hat mich, den durch den Blitz (des Zeus, als er die Giganten tötete) verdorrten, der Tod bezwungen". Quam versionem Radermacher [1]) improbavit propterea quod fulmen hominem non *αὖον* reddat sed conflagret; accedit alia causa ob quam dubitari non potest quin Comparettii coniectura utique sit abicienda. Comparetti et Gruppe obliti esse videntur versus laminis inscriptos non ab ipso mortuo sed ab eius anima recitari; ex eo enim quod adiectiva, quibus mortuus significatur, his in laminis [2]) feminino genere adhibita sunt, sequitur ut non *ὁ δεῖνα* sed *τοῦ δεῖνα ψυχή* loquens inducatur. Comparettii igitur coniecturam anima quae venit *ἐκ καθαρῶν καθαρά* deprecatur Recte autem Comparetti versum a voce *εἶτα*, non ab *εἴτε* incipi statuit. Nominativum enim q. e. *Μοῖρα* non alter substantivi nominativus sequitur, ergo „disiunctivo" *εἴτε... εἴτε...* locus non est, sed primum istud *ΕΙΤΕΜΕ ΜΟΡΑ* pro *εἶτ' ἐμὲ μοῖρα* scriptum, et alterum *ΕΙΤΕ* delendum esse constat.

Quid quod in lamina illud *εἴτε* (*ΕΙΤΕ*) sub ipsa voce *εἶτα* (*ΕΙΤ ΕΜΕ ΜΟΡΑ*) scriptum est. Dubium igitur non est quin duplex istud *εἴτε... εἴτε...* aurificis mendo de-

---

1) Radermacher l.l. p. 476 „doch wird man von dem Blitz verbrannt und nicht ausgetrocknet."

2) Lam. Thur. prima, altera, tertia et lam. Romana a formula *ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά* (vide supra cap. 3 § 4) incipiunt, lam. Petel. v. 8 anima dicit:

δίψῃ δ' εἰμ(ι) αὔη καὶ ἀπόλλυμαι,

sed in l. Creticis ipse mortuus dicit v. 1:

δίψᾳ αὖος ἐγὼ καὶ ἀπόλλυμαι.

beatur; qui carminis C versu 1 hanc immanem literarum colluviem exaravit:

ΕΡΧΟΜΑ ΕΚ ΑΡΩΝ ΧΟΝΩΒΑ
ΚΑΘΑΡΑ ΧΟΝΙΩΝ ΒΑΣΙΛΗΕΙ

pro: ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν χονωβα
καθαρά, χθονίων βασίλεια

et c. B v. 2:

ΕΥΚΛΕΥΑ ΚΑ ΕΥΒΟΥΛΕΥ

pro: Εὖκλευα καὶ Εὐβουλεῦ.

Quae exempla aurificem dissografiae[1]) arguunt.

Sed non est quod una cum voce εἴτε litera α- adiectivi q. e. ἀστεροπής deleatur. Statuimus igitur in archetypo scriptum fuisse:

εἶτ' ἐμὲ Μοῖρ' ἐδάμασσ * * * ἀστεροπῆτι Κεραυνῷ.

Medio in versu lacunam esse videmus; sed non est cur Dielsium secuti totum versum excidisse credamus. Nonne vides praepositionem ante dativum ἀστεροπῆτι Κεραυνῷ desiderari? Qua suppleta iustus exit versus omnibus numeris absolutus:

εἶτ' ἐμὲ Μοῖρ' ἐδάμασσε σὺν ἀστεροπῆτι Κεραυνῷ.

Qua de praepositione disserere supervacaneum mihi

---

1) Eodem modo aurificis oculus aberravit qui in lamina Thurina prima (carm. A.) versus 2 partem alteram stulte iteravit et versum 7 bis exaravit.

Recte Comparetti p. 22[9]: „Ripetizione per invista dalla linea antecedente è certamente ΕΙΤΕ a. l. 8". Literas χονω βα dissografiae deberi Wagenvoort v. d. intellexit; Comparetti autem ad v. 6 carminis C (in lamina est ΝΥΝ ΔΕ ΚΕΙΚΩ ΗΚΩ) adnotavit: „Ripetuto(H)ΚΩ".

esse videtur; omnes enim novimus vulgatum illud *σὺν θεῷ* = divinitus, et Homeri versum[1]):

νῦν μὲν γὰρ Μενέλαος ἐνίκησεν σὺν Ἀθήνῃ.

Κεραυνός autem Jovis *Κεραυνίου* nomen est, quod etiam in opere caelato Bruxellis in museo asservato legitur[2]) et hymno Orphico XIX (*Κεραυνοῦ*) inscriptum est[3]). Idem deus etiam *Κεραύνιος*[4]) et, Jovis nomine addito, *Ζεὺς Κεραυνός* et *Ζεὺς Κεραύνιος* a Graecis nominabatur. Sic Juppiter a Latinis antiquitus Fulgur et Fulgur Fulmen, postea Fulgurator et Fulminator dictus est, et Iovem Lapidem iurare sanctissimum iusiurandum habitum est[5]). Antiquissimis enim temporibus ipsum deum in fulminibus et lapidibus aeriis inesse credebant[6]) *Γυθίου δὲ τρεῖς μάλισα τἀπέχει σταδίους ἀργὸς λίθος· Ὀρέστην λέγουσι καθεσθέντα ἐπ' αὐτοῦ παύσασθαι τῆς μανίας· διὰ τοῦτο ὁ λίθος ὠνομάσθη*

---

[1]) Hom. Ilias III, 439.

[2]) Cumont, O. R. im R. H. p. 295[67] „Κεραυνός erscheint auf dem im Brüsseler Museum befindlichen Basrelief von Homs (Dussaud, Notes, p. 105)". Ceterum cf. Usener, Keraunos, Rhein. Museum, 1905 p. 1-30 = Kleine Schriften, IV p. 471-497.

[3]) H. O. XIX in codd. inscribitur Κεραυνοῦ; recte Dieterich, Kl. Schr. p. 82[3] scripsit „etsi Ζεύς ipse advocatur, non licet dei haud dubie antiquissimum cognomen mutare. Κεραυνός et hominum nomen erat, filii Clearchi, Plut. Alex. II, 5, Ptolemaei cognomen, Pausan. X. 19, 7".

[4]) Κεραύνιος, sine nomine q. e. Ζεύς, una cum dea Κεραυνία in inscriptione Citiea legitur; cf. Höfer in Roscheri lexico s. v. Keraunos, II, 1118 et vide Drexleri commentationem de Keraunio in R. lexico II, 1116 seq.

[5]) Cf. Wissowa, Religion und Kultus der Römer[2], p. 121 et Aust, in Roscheri lexico II p. 656.

[6]) Paul. Diac. p. 115: „lapidem silicem tenebant iuraturi per Iovem", Gellius, N. A. I, 21: „Iovem Lapidem, quod sanctissimum iusiurandum habitum est, paratus ego iurare sum". Cf. Aust, l. l. p. 674 et Wissowa, l. l. p. 118.

Ζεὺς Καππώτας κατὰ γλῶσσαν τὴν Δωρίδα [1]). Doricum autem cognomen Pausanias prave cum attico *καταπαύτης* confudit, quamquam vocis etymologia sat perspicua est; de qua Wide hunc in modum disputavit [2]): „Zeus Kappotas ist der vom Himmel gefallene *ἀργὸς λίθος; καππώτας* = *κατα-πωτ-ας* aus der Wurzel *πετ-*, *πωτ-*, vgl. *πωτ-α-ομαι*." Ergo *καππώτας* non pro *καππόιας* (quod Mayer contendit [3]) qui vertit „der Verschlinger") dictum est, sed nomen fere idem significat ac *Καταιβάτης* [4]), quo epitheto *ἀπὸ τοῦ καταβαίνειν τουτέστι καταπέμπειν τοὺς κεραυνοὺς* deum ornaverunt. [5])

Recte igitur in laminis ipse deus *Κεραυνός* nominatus est, neque minus recte epitheto q. e. *ἀστεροπής* [6]) ornatus. Idem enim deus tonitruum fulminumque potens est.

---

1) Pausanias III, 22,1.

2) Wide, Lakon. Culte, p. 21; cui Usener (Keraunos, l. l. p. 12 = Kleine Schriften, p. 481) astipulatur, qui confert *στρέφειν—στροφή—στρωφᾶσθαι* (Usener autem Widii nomen silentio praetermisit).

3) Mayer, in Roscheri lexico, s. v. Kronos p. 1540.

4) Cf. Kabatas (Zeus) = Καταιβάτης (Nilsson, Griechische Feste p. 473 et Rhein. Museum 1908 p. 313 seq.)

5) Auctor Etym. m. 494, 41; cf. Drexler in Roscheri lexico s.v. Kataibates, II p. 1000 seq. Ceterum cf. Iovis cognomina: *κεραυνοβρόντης* (Arist. Pax, 376), *κεραυνοῦχος* (Phil. Sept. Mir. 3), *βρονταιῶς*, *ἀστραπεύς* (Hymn. Orph. XV, 8; XX in inscriptione), *ἀστράπιος* (Hymn. Orph. XX, 5).

6) Radermacher, l. l. p. 476—477 demonstravit a substantivo *στεροπή* duo adiectiva, *στεροπήεις* et *στεροπής* derivari posse, et sumpsit *στεροπῆτι* aut positum esse pro *στεροπῆντι* (cf. *ἀστυνομοῦτος* pro *ἀστυνομοῦντος*, *Σμίθιος* pro *Σμίνθιος*, *ἀτιγραφεύς* pro *ἀντιγραφεύς*, etc.) aut, sicut nomen proprium *Ἄργης* respondet nomini *Στεροπής*, ita adiectivo q. e. *ἀργήεις* non solum adiectivum *στεροπήεις*, sed etiam alterum adiectivum *στεροπής* adiectivo *ἀργής* (-*ῆτος*) respondere. In lamina autem litera *α-* praefixa, legitur dativus *ἀστεροπῆτι* et nominis q. e. *Στεροπής* altera

Vidimus in lamina literas *Δ? ON* loco praepositionis q. e. *σύν* scriptas esse et demonstrandum est unde istae literae ortae sint. Supra iam adnotavi ex his alteram alteri interpreti (Comparettio) *Y*, alteri *T* esse videri. Sed veri similius est hanc neque *Y* neque *T*, sed *I* esse. [1]) Iam vero clarum fit quattuor literas *ΔΙΟΝ*, positas sub voce *ΔΙΚΑΙΩΝ*, dissografiae deberi. Apparet autem *ΔΙΟΝ* scriptum esse pro *ΔΙΩΝ*; sic carminis mystici v. 4 *ΚΕΡΑΥΝΟΝ* pro *ΚΕΡΑΥΝΩΝ* scriptum esse infra videbimus [2]). Ergo in aperto est quo modo factum sit ut praepositio *σύν* excideret.

B. *De hominibus qui de coelo tacti sunt.*

Sententiam, quae nostro versu legitur, explanare et definire volumus.

Verba *Μοῖρ' ἐδάμασσε* graece nihil nisi „Fatum interemit" significant; quae loquendi ratio inde ab Homeri aetate Orphicis quoque in literis non ignota erat; sic Arg. Orph. v. 143 legitur de Cantho quodam:

---

quoque forma est Ἀστερόπης [(vide Pherek. apud schol. ad Eurip. Alc. v. 1 et Euphor. fragm. Berl. Klassikertexte 5,1 p. 58 et cf. Höfer in Roscheri Lexico s. v. Steropes) quacum Kreuzer in Roscheri Lexico l. l. tertiam nominis formam q. e. Ἀστεροπαῖος confert]. Ergo dubium non est quin in lamina dativus adiectivi q. e ἀστερόπης sit scriptum.

[1]) Primus hoc Wagenvoort, amicus meus, observavit; cuius sententiam libenter meam feci. In lamina est 'I; quod signum literae Y dissimile est; si quidem litera est, fieri non potest quin sit litera I. Ductus obliquus ' delendus est una cum lineola I quae in lamina est post ἐδάμασ (ΕΔΑΜΑΣΙ Α'ΙΟΝ); cf. Comparetti p. 21 „Fra il Σ e l' Α ci è un segno come di I che però non posso determinare con certezza essendo in quel punto stata ripiegata la laminetta".

[2]) Cap. V, § 1.

ὃν δὴ Μοῖρ' ἐδάμασσε τέλος δ' ἐπέθηκεν Ἀνάγκη. [1])

Quam significationem si recte consideratam habemus sentimus hoc versu non de homine in nascendi conditionem venturo agi, quod volunt interpretes qui hominum e Titanum cruore cineribusque originem ipsis hisce verbis *Μοῖρ' ἐδάμασσε κ. τ. λ.* significari contenderunt. Ergo, quidquid Harrison, Gruppe, Comparetti dicunt, equidem statuo nostro versu de hominis morte sermonem esse et peculiare quidem genus mortis descriptum esse; hominis de coelo tacti mortem dico. Qua de re Rohde [2]) fusius egit, qui ab Hofmanni recensione profectus haec fere scripsit: „Die Wahl zwischen natürlichem Tode (dies soll, wenn unterschieden von dem Blitztod, *μοῖρα* jedenfalls heissen) und Tode durch Blitzstrahl hat doch der Verstorbene nicht; eines von beiden (oder von mehreren) kann doch thatsächlich allein eingetreten sein. Man hat offenbar in der Verlegenheit — da doch Blitztod in Wirklichkeit sehr selten eintritt — den alten Vers so abgeändert, dass er allenfalls auch auf einen, natürlichem Todes Verblichenen angewendet werden konnte. Freilich ungeschickt genug. Ursprünglich kann — wie noch in 1 (Carmen A ex Hofmanni recensione: *ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροπῆτα κεραυνῶν*) — nur vom Blitztod die Rede gewesen sein, und es muss das ursprüngliche Original der Verse sich wohl wirklich auf einen so ums Leben Gekommenen bezogen

[1]) Quo de versu vide Maassium „Orpheus" p. 269[45]. Cf. Hom. Σ 119, *ἀλλά Fε μοῖρ' ἐδάμασσε.*
χ 413, *τούσδε δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε*
Π 849, *ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ . . . ἔκτανεν.*

[2]) Rohde, Psyche II. 218[4].

haben." Quam interpretationem Delatte [1]) repudiandam esse censet, quod mortuo mortis arbitrium detur. Nobis autem Rohdii interpretatio magis ingeniosa quam vera videtur: nam de hominibus de coelo tactis agi verum quidem est, sed nulli alternationi locum esse in versu in integrum restituto apparuit. Rohde autem cui Hofmanni tantum versus recensio prae manibus fuisse videtur, facere non potuit quin ad alternationem istam tamquam ad extremum auxilium confugeret, quamquam ipse non nescius erat haud facile distingui posse mortem per *κεραυνόν* et exitum fati crimine allatum. Neque enim veteres crediderunt aliam mortem *Μοῖραν* aliam *Κεραυνόν* hominibus afferre, sed iis persuasum erat *Μοῖραν* una cum fulmine *τὸν διόβλητον* abripere. Quod apparet ex eorum sententia de Semela, quae *κεραυνοῦ κατασκήψαντος ἠφανίσθη· ἐκείνην μὲν οὖν, ὁποία ἐπὶ τοῖς διοβλήτοις λέγεται, θείας μοίρας λαχεῖν ᾠήθησαν*, et ex versibus laminae Th. quintae inscriptis, quibus poeta [3]) *Μοῖραν* hunc in modum celebrat:

---

[1]) Delatte, Musée Belge 1912, p. 126: „Le fait même que le défunt présente l'alternative, sans indiquer quel est son cas, suffirait à écarter cette interprétation."

[2]) Charax, apud Anon., de incredib. 16, p. 335, 5 seq.

[3]) l. Thurina quinta, Diels, n⁰. 21, v. 4 seq.; Diels (Festschrift. f. Gomperz p. 12) dubius haeret utrum his versibus Moirae an Helii facta annumerentur, cum praecedant versus hi:

> Πρατογόνῳ Γῇ ματρὶ ἔφη Κυβελήια Κόρρα·
> . . . . Δήμητρος . . . . πανόπτα Ζεῦ . . . .
> Ἥλιε Πῦρ διὰ πάντ' ἄστη νίσεαι, ὅτε νίκαις
> ἦδε Τύχαις ἐφάνης [καὶ ὁμοῦ] παμμήστορι Μοίρᾳ.

Sed Moirae nomen quod factorum catalogo praemittitur et subsequitur omnem dubitationem tollit.

. . . . παμμήστορι Μοῖραι
τῇ τοι γάννυα πιαίνεις τῇ σῇ, κλυτὲ δαῖμον,
δεσποτείαι τὶν πάντα δαμαστά, [τὰ] πάντα κρατυντά,
ἐμβρόντητα δὲ πάντα [τὰ] Μοίρης τλητέα πάντη.

Distingui enim non possunt [1]) κεραυνῷ πληγέντες et ἐμβροντηθέντες.

Qua de morte veteres plus quam hodierni fabulari solebant:

πολλοὺς γὰρ βροντῆς πνεῦμ' ἄναιμον ὤλεσεν. [2])

Praesertim autem in Italia inferiore hac de re sermo fuisse videtur; in mentem nobis revocamus Japyges ἐξ οὐρανοῦ βαλλομένους πυρὶ καὶ χαλκῷ (Athen. XII 24, 523) et Tarentinos quos τὸ δαιμόνιον ἐκεραύνωσε. De quibus Charax in libro quarto vitarum (apud Athen. XII, 23, 522) haec fere rettulit: Tarentini Japygum oppidum q. e. Κάρβινα expugnaverunt, ex quo pueros, virgines καὶ τὰς ἐν ἀκμῇ γυναῖκας ἀθροίσαντες εἰς τὰ τῶν Καρβινατῶν ἱερὰ σκηνοποιησάμενοι γυμνὰ πᾶσι τῆς ἡμέρας τὰ σώματα παρεῖχον θεωρεῖν καὶ ὁ βουλόμενος καθάπερ εἰς ἀτυχῆ παραπηδῶν ἀγέλην, ἐθοινᾶτο ταῖς ἐπιθυμιαῖς τὴν τῶν ἀθροισθέντων ὥραν, πάντων μὲν ὁρώντων, μάλιστα δὲ ὧν ἥκιστα ἐκεῖνοι προσεδόκων θεῶν. οὕτω δὲ τὸ δαιμόνιον ἠγανάκτησε ὥστε Ταραντίνων τοὺς ἐν Καρβίνῃ παρανομήσαντας ἐκεραύνωσε πάντας καὶ μέχρι καὶ νῦν ἐν Τάραντι ἑκάστη τῶν οἰκιῶν, ὅσους ἀπεδέξατο τῶν εἰς Ἰαπυγίαν ἐκπεμφθέντων, τοσαύτας ἔχει στήλας πρὸ τῶν θυρῶν, ἐφ' αἷς καθ' ὃν ἀπώλοντο χρόνον οὔτ' οἰκτίζονται τοὺς ἀποιχομένους οὔτε τὰς νομίμους χέονται χοάς, ἀλλὰ θύουσι Διὶ καταιβάτῃ.

Tarentini igitur antiquitus iam Jovem qui καταπέμπει τοὺς κεραυνοὺς coluerunt. Homines autem, quorum in

[1]) Cf. Xen. Hell. IV 7,7.
[2]) Euripides apud Plut., Q. Conv. IV, 2 (Dindorf fr. 972).

honorem *στῆλαι* ante aedes statutae sunt, tam sceleratos nefariosque fuisse credi vix potest. Rohde [1]) de istis criminibus recte adnotavit: „Wären aber jene — wirklich die Frevler gewesen, als welche die Legende sie erscheinen lässt, so wäre ohne Zweifel auch in Tarent solches Begräbniss im Inneren der Stadt, und gar, wie sonst nur Heroen geschieht [2]), an den Hausthüren ihnen nicht gewährt worden. Dieses Bedenken zu beseitigen durch gewaltsame Aenderung des *πρὸ τῶν θυρῶν* in *πρὸ τῶν πυλῶν* macht, wie leicht zu ersehen, schon das voranstehende *ἑκάστη τῶν οἰκιῶν ὅσους κ. τ. λ.* unmöglich. Die Legende wird unwahr sein, und jene *διόβλητοι* (denen man, als Heroen, keine Todtenklage und gewöhnliche *χοάς* gewidmet zu haben scheint) zu den durch ihren Blitztod vielmehr Geehrten und Erhöheten gehört haben". [3])

Sed, quamquam haec hominum fulmine exanimatorum exempla nobis ante oculos stant, neque obliviscimur fuisse qui [4]) dicerent Orpheo et ipsi *κεραυνωθέντι ὑπὸ τοῦ θεοῦ συμβῆναι τὴν τελευτήν*, tamen miramur si thiasotae Thurini tamquam *διόβλητοι* aditum ad Inferorum reginam petiverunt. Ipsum quidem Orpheum dicunt *κεραυνωθῆναι*

---

1) Rohde, Psyche I, 229^{2}.

2) Rohde, Psyche I, 197^{2}.

3) Cf. Rohde, Psyche I, 320 seq.

4) Diogenes Laertius, Prooemii § 5 exscripsit τὸ ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας ἐπίγραμμα, κεραυνωθῆναι αὐτόν, λέγον οὕτως·

> Θρήικα χρυσολύρην τῇ δ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν
> Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.

Cf. Paus. IX, 30: εἰσὶ δὲ οἳ φασι κεραυνωθέντι ὑπὸ τοῦ θεοῦ συμβῆναι τὴν τελευτὴν Ὀρφεῖ· κεραυνωθῆναι δὲ αὐτὸν τῶν λόγων ἕνεκα ὧν ἐδίδασκε ἐν τοῖς μυστηρίοις οὐ πρότερον ἀκηκοότας ἀνθρώπους.

τῶν λόγων ἕνεκα ὧν ἐδίδασκε ἐν τοῖς μυστηρίοις οὐ πρότερον ἀκηκοότας ἀνθρώπους, sed non necessario inde sequitur eius asseclas (si quidem Thurini in eius sectatorum numero ponendi sunt) credidisse se magistrum suum usque in mortem secutos esse.

Thiasotas igitur re vera de coelo tactos esse pro certo affirmare non audeam; quoad carmen mysticum tractaverimus, iudicium continere praestat.

§ 4. *De carminis supplicis exitu.*

Radermacher[1]) versum 5 a Comparettio emendatum tractans, non fert pronomen *ἐμέ* emphatice positum. Sed, quantum quidem scio, non est quod offendamur hac in re; in literis enim sepulcralibus pronomen emphatice positum nihil habet insoliti; sic in lamina Petelina legitur:

> *Γῆς παῖς εἰμι και οὐρανοῦ ἀστερόεντος,*
> *αὐτὰρ ἐμοὶ γένος οὐράνιον·*

Quo loco collato nostrum versum a Radermacheri impetu tutum esse credo. Eiusdem autem interpretis observatio alia refellenda est, quae maioris momenti esse videtur; scripsit enim: „die Anknüpfung des Gedankens an den vorhergehenden durch *εἶτα* bleibt schwer zu verstehen." Perspicuum est Comparettii interpretatione accepta (la Moira mi abatte e mi inarridi) nullum adverbio *εἶτα* locum esse, sed mea coniectura in textum recepta, Radermacheri observationem irritam fieri. Contextus enim versuum 3-7 (v. 4 restitui: *δ' αὐτ'* et v. 5: *σὺν*) qui sunt:

---

1) Radermacher l. l. p. 476.

3 καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος εὔχομαι ὄλβιον εἶναι,
ποινὰν δ' αὖτ' ἀπέτεισ' ἔργων ἕνεκ' οὔτι δικαίων·
εἶτ' ἐμὲ Μοῖρ' ἐδάμασσε σὺν ἀστεροπῆτι Κεραυνῷ.
Νῦν δ' ἱκέτις (?) ἥκω παρ' ἀγαυὴν Φερσεφόνειαν [1])
7 ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας εἰς εὐαγεόντων.

nunc exiit hic: versu 3 anima divina origine gloriatur; hic versus cum solemni deorum invocatione iunctus est voce γάρ: mortuus omnes deos invocat propterea quod eorum generis particeps est.

Huic versui v. sequens oppositus est particulis δ' αὖτε; vide sententiarum antitheton: homo deorum beatorum memor, nunc vitam aerumnosam depingit. Versu 5 narrare pergit quo modo vitae finis impositus sit; qui versus praecedenti non aptius quam adverbio εἶτα coniungi potest. Morte autem obita homo nunc supplex ante Proserpinam stat; quod describitur versu 6, a verbis νῦν δέ incipiente.

---

[1]) Voci ἱκέτις signum interrogationis apposui; versus 6 in lam. Thur. altera exaratus est hunc in modum:

ΝΥΝ ΔΕΚΕΙΚΩ
ΙΙΚΩ ΠΑΡ ΑΦΣΕΦ

in lam. Thur. tertia:

ΝΥΝ ΔΙΚΕΤΙΙΚΩΙ ΠΑΙ ΑΓΝΗΦΕΣΕ
ΦΟΝΕ.ΑΝ

Kaibel et Diels legunt ἱκέτι[ς]; Diels restituit ἀγαυήν pro ἁγνήν. Murray legit ἱκέτης; cui astipulatus Comparetti ἁγνήν transposuit ante ἥκω et versum restituit:

νῦν δ' ἱκέτης ἁγνὴν ἥκω παρὰ Φερσεφόνειαν.

Dieterich scripsit metro invito (vide supra cap. III, § 1):

νῦν δ' ἱκέτης ἥκω παρ' ἁγνὴν Φερσεφόνειαν.

Quos versus latine hunc in modum vertere possumus:

3. Namque equidem divis natum me glorior esse.
At meritas poenas solvens vixi aerumnose;
Abripuit me deinde Iovis cum fulmine Fatum;
nunc autem supplex venio ad te, Phersephoneia,
7. mitte beatorum me ad sedes mente benigna.

Carminis ad exitum iam venimus et ultimo versu paulisper subsistimus, non ut de significatione aliquid addiscatur, sed ut intellegatur quo modo carmen exeat. Mortuus enim quid ab Inferorum regina sibi precetur perspicuum est:

ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας εἰς εὐαγε[όν]τω[ν].

Non infinitas vitae necessitudines deprecatur sed orat ut Proserpina se ad beatorum sedes admittat. Quas Rohde easdem esse censuit atque locum quem antiquitas dixit *τὸν τῶν εὐσεβῶν χῶρον, οὗ τοῖς μεμυημένοις ἐστί τις προεδρία.* [1]) Noster autem mortuus procul dubio *τὸν ᾅδην τὸν ἐν οὐρανῷ* (Iovis summi regiam) [2]) voluit. Quem synthiasotas defunctos iam incolere credidit.

Iam vero rogatur quo nomine beatos illos nuncupaverit. Qua de re cum omnes interpretes non consentiant, statim admonemus hanc quaestionem pendere ab ultimo carminis verbo. Quod in laminis ita corruptum est, ut scriptum sit in carmine B: *ΕΥΑΓΕΙ ΩΙ*, in carmine C:

---

[1]) Plato, Axioch. 371 D.; cf. Rohde, Psyche I, 314, II 219[3], 383/84 et Dieterich de „voculae εὐαγής historiae mysticae terminis duobus" Kl. Schriften p. 95.

[2]) Vide cap. II § 3.

ΕΥΓΔ· Omnes praeter Dielsium interpretes has literas scriptas esse pro *εὐαγέων* et carmen in pentametrum exire iudicant hunc:

ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας ἐς εὐαγέων.

Vocis autem *ἕδρας* syllabae alterius correptio displicet, et Diels sequendus esse videtur, qui *εὐαγεόντων* restituit. Quod eo magis placet quod inter huius vocis literas *Ε* et *Ω* lineola scripta est, quae indicat aliquid excidisse. Ergo cum Dielsio legendum esse censeo hexametrum[1]) hunc:

ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας εἰς εὐαγεόντων.

Praepositionis igitur formam *ἐς* mutamus in *εἰς*. Cum in lamina *ἕδραις* pro *ἕδρας* scriptum sit, intellegimus aurificem literam *ι* alieno loco exarasse, et huic literae suum locum reddimus[2]).

Sed iam satis de carmine supplici disputasse mihi videor et ad alterum carmen, quod mysticum nominavi, transeo.

---

[1]) Diels adnotat ad v. 8: „ΕΥΑΓΕΙ ΩΙ = *εὐαγειῶν* verstand der Schreiber: [ ]* : *εὐαγέων* (Pentameter!) Kaibel-Radermacher."

[2]) Comparetti l.l. p. 22; „Come errori ortografici si possono considerare li jota superflui in *εδραις* ed *ευαγειω*[*ν*]."

CAPUT V.

De Carmine mystico.

Radermacher carmen mysticum duas in partes dividit quarum priorem, v. 1—4, animo assignat Inferorum clementiam expetenti, alteram animo salute iam donato attribuit. Quam ob causam contaminatio esse ei videtur, quacum defixionum tabulas confert in quibus ἑβραϊκά et ἐφεσιακά connectuntur.

Mihi autem aliter carmen dividendum esse videtur, nempe ita ut prior pars constet e versibus tribus, quibus mortuus Inferorum reginam, nuntium, regem aliosque deos (quorum genere se prognatum esse gloriatur) invocet. Qui versus quo modo inter se cohaereant, supra iam explanavi, cum egi de carmine supplici. Altera deinde carminis pars sequitur, quae a versu 4 incipit et in symbolum mysticum exit. Qui versus mysticum Ἐρίφου cultum spectant, de quo in carmine supplici οὐδεὶς λόγος est.

§ 1. *De versu 4.*

ΑΛΛΑ ΜΕ ΜΟΙΡΑ ΕΔΑΜΑΣΣΕ κ. τ. λ.

Versus quartus eandem quidem fere sententiam ac carminis supplicis v. 4 complectitur, sed non prorsus eodem modo est compositus.

In lamina enim legimus:

ΛΛΛ ΜΕ ΜΟΡΛ ΕΔΛΜΛΣΕ
ΚΛΙ ΛΘΛΝΛΤΟΙ ΘΕΟΙ ΛΛΛΟΙ ΚΛΙ ΛΣ
ΣΤΕΡΟΒΛΗΤΛ ΚΕΡΛΥΝΟΝ.

Diels, qui edidit:

ἀλλά με Μοῖρ(α) ἐδάμασσε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
[* * * * *] *καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνόν*

opinatur post versum 4 initium versus 5 excidisse; alii interpretes ad unum omnes verba *καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι* delenda esse censent, quae e versu 2 prave repetita esse apparet. Quibus verbis omissis Kaibel vocis *κεραυνόν* literam ultimam (*ν*) litera *ς* mutat et hexametrum restituit hunc

ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνός

Quamquam haec emendatio omnino non displicet, reicienda esse videtur, cum versus sanari possit medela leniore.

Buecheler [1]) praepositionem *κατ'* pro copula *καὶ* restituit et proposuit:

ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε κατ' ἀστεροβλῆτα κεραυνόν.

Exigua quidem literarum *ι* et *τ* mutatio est, sed hic praepositionis *κατά* usus scrupulum inicit. Quodsi meminimus *Κεραυνόν* Iovis nomen esse et Graecos locutionibus *σὺν θεῷ* (cf. Homericum illud *σὺν Ἀθήνῃ*) et *κατὰ θεόν τινα* eodem fere sensu [2]) usos esse, suspicari licet

---

[1]) Bu°cheler, Rhein. Museum XXXVI (a. 1881) p. 332 „Coniectanea".

[2]) Cf. Aristoph. Equites v. 147:

ἀλλ' ὁδὶ προσέρχεται ὥσπερ κατὰ θεὸν εἰς ἀγοράν.

Vide Leeuweni commentarium l. l. et cf. Aesch. Pers. v. 101:

Θεόθεν γὰρ κατὰ Μοῖρ' ἐκράτησεν.

et Agam. 1025

τεταγμένα Μοῖρα ἐκ θεῶν.

locutionem *κατ' ἀστεροβλῆτα Κεραυνόν* idem significare ac carminis supplicis verba: *σὺν ἀστεροπῆτι Κεραυνῷ*. Sed hac coniectura non opus est, cum Hofmann medela usus sit multo leniore. Repperit enim non *κεραυνὸν* sed *κεραυνῶν* legendum esse, et pro substantivi *κεραυνός* accusativo participium verbi *κεραυνόω* [1]) posuit. Ergo hexameter noster sic in integrum restitui potest:

Ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν

Quae emendatio probabilitate palaeographica ita commendatur, [2]) ut tantum non omnes interpretes cum Hofmanno faciant; quibus equidem libenter astipulor.

In versu ita emendato *ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν* deus dicitur qui in carmine supplici *ἀστεροπὴς Κεραυνός* audit. Iam rogatur quid epitheton *ἀστεροβλῆτα* = *ἀστεροβλήτης* significet. Quod cum in literis Graecis alias non obvium sit, Hofmann duas interpretationis vias monstravit, quae sunt „1) Der Dichter dieser Verse hat ein Epitheton *ἀστεροβλῆτα* = *ἀστεροποβλῆτα* neu gebildet 2) zu *ἀστεροβλής* = *ἀστροβλής* ›vom Sonnenstich getroffen‹ ist ein *ἀστεροβλῆτα* ›der mit dem Sonnenstich treffende‹ neu geschaffen." Quarum altera nobis displicet quia ad deum „qui solis ictu interimit" ducit et carminis supplicis versus aperte demonstrat de homine non solis ictu sed fulmine interempto hic agi. Prior autem via magis placet; facile enim fieri potuit ut epitheton q. e. *ἀστεροποβλῆτα* (= Fulminator) abiret in *ἀστεροβλῆτα* per haplologiam. Quod Brinkmann [3]) egregie illustravit exemplis q. s. *ἀμφορεύς*,

---

1) Quod vertit: „indem er mich niederschmetterte".

2) Sic in carmine supplici ΑΙΟΝ pro ΑΙΩΝ scriptum est; vide caput IV § 3, A.

3) Rhein. Museum LXVI, p. 476.

κελαινεφής, λειπυρία, τέτραχμον pro *τετράδραχμον*, Restutus pro Restitutus. Quam interpretationem Radermacher quoque laudat, qui hac de re scripsit: „*ἀστεροβλήτης* heisst, wörtlich genommen ›Sternschleuderer‹ und ist mit *ἀστεροποβλήτης* ›Blitzschleuderer‹ durchaus nicht identisch. Hier steckt die Schwierigkeit, die sich vermutungsweise durch die Annahme beseitigen lässt, dass *ἀστεροποβλήτης* infolge falscher etymologischer Anlehnung an *ἀστεροπήτης* zu *ἀστεροβλῆτα* geworden ist". Statuimus igitur nomen q. e. *ἀστεροβλῆτα* significare Fulminatorem [1]).

§ 2. *De versibus 5—7,*
quibus ΤΑ ΔΡΩΜΕΝΑ describuntur.

Sequuntur versus:

5 *κύκλου δ'ἐξέπταν βαρυπενθέος ἀργαλέοιο*
6 *ἱμερτοῦ δ'ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι* [2]),
7 *Δεσποίνας δ(ὲ) ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας.*

quibus mysta dicit circulum corona se mutasse et ex Proserpina renatum esse. Est igitur caerimoniarum catalogus, quibus exsequendis homo deus exiit.

A. *De circulo et corona.*

Quamquam de ritu per *κύκλον* [3]) exsequendo admodum

---

[1]) Deus igitur mystici carminis v. 4 *ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν*, supplicis carminis v. 4 *ἀστεροπὴς Κεραυνός* (vide supra cap. IV § 3) dictus est.

[2]) Versus 6 post v. 7 prave repetitur in lamina.

[3]) Nulla est causa cur sumatur *κύκλον* hic positum esse pro locutione q. e. *κύκλος γενέσεως*; quod supra demonstravi (cap. III, § 2).

pauca nota sunt, quae Harrison[1]) optime collegit et disposuit, hoc tamen certum est, *κύκλον* antiquitus in mysteriis adhibitum esse *πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν καὶ ἀποκάθαρσιν*. Adde quod in Italiae inferioris vasis pictis[2]) quae Inferorum regiam exhibent, rotas pariete dependentes videmus. Quam ob causam Harrison opinatur in carmine nostro rem lustralem (wheel of Purgation) voce q. e. *κύκλος* designatam esse. Quae interpretatio quamquam probabilis esse videtur, mihi non placet. Heronis enim et Clementis testimonia demonstrant rotam lustralem in sacris volvendam fuisse (Clem.: *ὁ τροχὸς ὁ στρεφόμενος*, Hero: *τροχὸν στρεφόμενον χάλκεον*) et e Theocriti idyllio II (v. 36: *τὸ χαλκίον ὡς τάχος ἄχει*) apparet hanc rotam aere repulsam tinnitus edidisse.[3]) At aliud est rotam volvere et aera aere repellere ita ut tinnitus resonent, aliud e rota evolare (*κύκλου*

---

[1]) Harrison, Prol. p. 591 de circulo locos exscripsit hos:

a. Psellus (*περὶ δαιμόνων*): *πυρά δὲ πολλά κύκλῳ τινὶ περιγράφοντες ἐξάλλονται τῆς φλογός. ἦν δὲ καὶ τοῦτο τῆς παλαιᾶς βακχείας, ἵνα μὴ λέγω μανίας μέρος . . . ὁ δέ γε κύκλος κατοχῆς ἔχει δύναμιν.*

b. Clem. Alex., Strom. p. 242: *διά δὲ συμβόλων, ὡς ὅτε τροχὸς ὁ στρεφόμενος ἐν τοῖς τῶν θεῶν τεμένεσιν εἱλκυσμένος παρὰ Αἰγυπτίων.*

c. Hero Alex., Pneum. I, 32; II 32: *Θησαυροῦ κατασκευὴ τροχὸν ἔχοντος στρεφόμενον χάλκεον ὃς καλεῖται ἁγνιστήριον.*

d. Scholiast. ad Theocr. II 36: *διόπερ πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν καὶ ἀποκάθαρσιν αὐτῷ ἐχρῶντο ὥς φησι καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν.*

Cf. Macrob. V, 19 „omnino autem ad rem divinam pleraque aenea adhibita solita multa indicia sunt; et in his maxime sacris, in quibus delinire aliquos, aut devovere, aut denique exigere morbos solebant".

[2]) Vide Winkleri librum „Die Darstellung der Unterwelt auf unteritalienischen Vasen" (Bresl. Philol. Abhandl. Band III) et Harrisoniae disputationem l. l.

[3]) Τὸ *χαλκίον* quod legitur v. 36 nihil nisi *ῥόμβος χάλκεος* fuit; cf. v. 30: *δινεῖται ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος.*

δ' ἐξέπταν). Quam ob causam statuendum est rotam cuius usum Clemens, Hero, Theocritus eiusque scholiasta descripserunt, dissimilem esse ei, quam in mysteriis Thurinis adhibuerunt. Ergo aliter versus 5 interpretandus esse videtur.

Quid quod in ritu quodam exsequendo *οἱ τελοῦντες τοὺς μυουμένους* circumdantes *κύκλον* conficere solebant [1]) et in antiquissimis sacris Bacchicis eveniebat ut initiandi ex igneo circulo exsilirent. [2])

Nonne patefit quid sibi velit illud *κύκλου δ' ἐξέπταν*? Facili coniectura assequimur mystam Thurinum aut medio in circulo igneo positum esse aut symmystarum turbam, faces manu tenentem, circulum circum eum confecisse saltando. In laminis *κύκλος* quidem non flammiger dicitur sed e Pselli loco discitur *τῆς παλαιᾶς βακχείας* fuisse ut symmystae circulum ducerent *πυρὰ περιγράφοντες* et cum Bacchae italae cum ardentibus facibus cursitare solerent [3]), haud temeraria coniectura est, mystas Thurinos quoque faces manibus tenuisse et turbam flammiferam initiandum circumsiluisse *κύκλῳ*. Nunc intellegimus quam ob causam mysta hunc circulum *βαρυπενθέα* et *ἀργαλέον* appellarit (nempe propterea quod

---

[1]) Dio Chrysost. Or. XII p. 387: „*εἰώθασιν ἐν τῷ καλουμένῳ θρονισμῷ καθίσαντες τοὺς μυουμένους οἱ τελοῦντες κύκλῳ περιχορεύειν*".

Cf. Plat. Euthyd. VII, p. 277 d et Leg. VII, 790 d.

[2]) Vide Pselli locum supra laudatum et cf. Menandri fr. 350 (Kock) v. 21-22:

περιμαξάτωσαν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ
καὶ περιθειωσάτωσαν·

mystici erat moris homines expiandos et initiandos *ἐν κύκλῳ* ponere; notatu dignum est etiam locum *οὗ παννυχίζουσι θεᾷ* dictum esse *κύκλον θεᾶς* (Aristophanes, Ranae v. 440 seq.).

[3]) Quod Livius narrat l. 39, c. 13, § 12; cf. infra § 5, D.

κατοχῆς ἔχει δύναμιν, vide locum Pselli supra laudatum) et cur dixerit ἐξέπταν. Eos enim qui ἐξάλλονται evolare, quam rectissime et elegantissime dictum est.[1])

Quae si recte disputata sunt, sequitur ut Harrison erraverit. Cuius interpretationem „The mystic has escaped from the Wheel of Purgation" missam facimus, quamquam negare non audeo fieri potuisse ut etiam Thurinis in mysteriis rota lustralis tinnierit.

Iam transimus ad versum 6:

ἱμερτοῦ δ' ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι

---

[1]) Nobis qaerentibus quid illud ἐξάλλεσθαι τῆς φλογός sibi voluerit, observandum est varias gentes morem celebrasse et adhuc celebrare pergere, ut per flammas currant et trans ignes saliant; cf. Mannhardt, Wald- und Feldculte, Zweite Auflage besorgt von W. Heuschkel, I p. 463 seq. 487, 506-511, 514, 520, et Andrew Lang, Modern Mythology p. 148-175. Torreblanca, Daemonologia p. 106, (liber mihi non praesto fuit; verba affero quae A. Lang l.l. p. 153 exscripsit) narrat fuisse qui pyras circumirent et transilirent „in futuri mali averruncatione" et Mannhardt haec fere scripsit (l.l. p. 186) „ich vermag in der Verbrennung des Maibaumes nichts anderes zu erblicken, als eine symbolische Darstellung des Vorganges, dass die Vegetation durch das Sonnenlicht und die Sonnenwärme des Sommers zur Entfaltung und zur Reife gebracht wird, also gleichsam das Sonnenfeuer passieren muss, und zwar stellen die Oster- und Maifeuer dieses Geschehen proleptisch, das Johannesfeuer als auf der Höhe stehend dar. Insofern der Sonnenschein für das Gedeihen der zu unserm Bestehen unentbehrlichen Pflanzenwelt notwendig ist, sucht der Mensch sich denselben und seinen Segen im Frühjahr für dieses Jahr, um Mittsommer für das nächste Jahr durch nachbildende Darstellung zu sichern. Wir kommen darauf noch öfter zurück. Doch schon jetzt darf darauf aufmerksam gemacht werden, dass der hinreichend dargelegte Glaube an die Sympathie zwischen animalischem und vegetabilischem Wachstum es erklärt, weshalb auch Tiere und Menschen durch diese Feuer gehen oder getrieben werden, um Gesundheit und Wachstumsfülle zu erlangen".

de quo Dieterich [1]) scripsit „*στέφανος* est qui cingit loca beatorum vel ipsa prata desiderata" cui Rohde [2]) astipulatus iudicat *στέφανον* Proserpinae regni ambitum (den Umkreis des Reiches der Persephone) significare, necnon Diels [3]) qui hanc vocem germanice vertit „Sphäre" et nos relegat ad Parmenidem qui vocem *στεφάνη* eo sensu posuit. Parmenides enim *στεφάνας εἶναι περιπεπλεγμένας, ἐπαλλήλους τὴν μὲν ἐκ τοῦ ἀραιοῦ, τὴν δὲ ἐκ τοῦ πυκνοῦ κ. τ. λ.* docuit et, ut Ciceronis verbis utar, „commenticium quiddam coronae simile efficit (*στεφάτην* appellat) continente ardore lucis orbem, qui cingit coelum, quem appellat deum". Hi autem tres interpretes faciunt verbum *ἐπιβαίνειν* metaphorice positum esse, quod minime probabile est. Nos enim non fugit hoc verbum nonnunquam per metaphoram positum esse [4]), sed praestare videtur hic ad literam accipere *τὸ ἐπιβαίνειτ*. An etiam illud *ποσὶ καρπαλίμοισι* per metaphoram positum esse credis? Sed ne longus sim: Harrison recte adnotavit „it is the entering of an enclosure that the 'eager feet' seem to

---

[1]) Dieterich, Kl. Schr. p. 95, confert Argon. Orph. v. 771: *αὐτίκα οἱ στέφανος καὶ τεῖχος ἐρυμνόν/Αἰητέω κατέφαινε καὶ ἄλσεα* et v. 895: *ἕρκος . . . ἑπτὰ περὶ στεφάνοισι κυκλουμένον — πόλιος στέφανος* Anacr. fr. 72 — Pind. Ol. 8, 42 *Ἰλίου στέφανος* = *τεῖχος* — Eurip. Her. 839: *τὸν καλλίπαιδα στέφανον.*

[2]) Rohde, Psyche II, 219[1].

[3]) Diels, Philotesia p. 44. Locus Parmenidis legitur Diels, Fr. der Vors. II, 18 A 37, Ciceronis locus est De Nat. Deorum I 12, 28; Empedoclis de variis *στεφάναις* doctrinam D. luculenter disposuit l. l. p. 261.

[4]) Comparetti confert Apoll. Rhod. Arg. IV, 1105: *τερπολῆς ἐπέβημεν*; vide exempla quae Van Leeuwen ad Arist. Ran. v. 674 collegit; adde Homer. Hymn. in Cererem, v. 211: *ὁσίης ἐπέβη.*

[5]) Harrison, Prol. p. 594.

imply." *Τὰ δρώμενα* ita peracta esse puto equidem, ut mysta, cum ex corona flammifera symmystarum exsiluisset, ingressus sit *στέφανον* humi iacentem.

Scimus enim in Bacchanalibus aliquid per mysticam coronam exsequendum fuisse; nam in bacchica Ptolemaei Philadelphi pompa [1]) *στέφανοί τ' ἐπίχρυσοι ἐπόμπευσαν τρισχίλιοι διακόσιοι, ἕτερός τε μυστικὸς χρυσοῦς λίθοις πολυτελέσι κεκοσμημένος ὀγδοηκοντάπηχυς. οὗτος δὲ περιετίθετο τῷ τοῦ Βερινικείου θυρώματι.*

Huc referendum est id quod Pythagoram [2]) *μυστικῷ τρόπῳ* dixisse Porphyrius refert: „*στέφανον μὴ τίλλειν*"; sequitur interpretatio: „*τοὺς νόμους μὴ λυμαίνεσθαι, στέφανοι γὰρ πόλεων οὗτοι*". Sed mihi aliud hoc symbolum significare videtur [3]), quod ad ritum per *στέφανον* exsequendum non trahere difficile est. Praeceptum enim mysticum esse videtur, quo initiandi coronam humi iacentem ingressi iubentur cavere ne hanc *ποσὶ καρπαλίμοισι* terant atque calcent.

Sed utut res haec se habet, versus 5 et 6 ita accipiendi sunt, me iudice, ut mysta medio in circulo positus exque eo egressus sit (quod est primum *τῶν δρωμένων*) deinde citato gradu coronam intrarit (quod est alterum *δρώμενον*).

B. *De mystae regeneratione.*

Quo modo mysta renatus sit, describitur versu 7,

---

1) Athen., V, 202 d.

2) Porph. V. P. 42, cf. Boehm, de S. Pyth., p. 13/14.

3) E locis supra allatis apparet non *νόμους* sed *τείχεα* dicta esse *στεφάνους πόλεων*. Cum vera symboli significatio mystis tantum nota esset, facile fieri potuit ut homines profani aliam interpretationem de suo fingerent.

quem Dieterich egregie interpretatus est. Qui locum Diodori [1]) contulit ubi describitur quo modo Hercules Junonis filius factus sit (*τὴν Ἥραν ἀναβᾶσαν ἐπὶ τὴν κλίνην καὶ τὸν Ἡρακλέα προσλαβομένην πρὸς τὸ σῶμα διὰ τῶν ἐνδυμάτων ἀφεῖναι πρὸς τὴν γῆν, μιμουμένην τὴν ἀληθινὴν γένεσιν,* quam adoptionis formam Diodorus ait tunc temporis etiam apud barbaras nationes usitatam esse) et locutionem „accipere in sinum" illustrat narratione de Attidis rebus, quam Pausanias [2]) hunc in modum rettulit: *θυγατέρα τοῦ Σαγγαρίου ποταμοῦ λαβεῖν φασι* (Galatae Pessinunta incolentes) *τοῦ καρποῦ (ἀμυγδαλῆς)· ἐσθεμένης δὲ ἐς τὸν κόλπον καρπὸς μὲν ἐκεῖνος ἦν αὐτίκα ἀφανής, αὐτὴ δὲ ἐκύει.* Quibus disputatis Dieterich concludit [3]) apparere „eum

---

[1]) Dieterich, Kl. Schr. p. 97/98; Diodori locus est IV, 39.

[2]) Pausanias VII, 17, 11.

[3]) Quid *κόλπος* significet perspicuum est; Dieterich, Kl. Schr. p. 98[2], confert Hymnum Magicum III *εἰς Ἑκάτην* (Abel, Orphica, p. 290, 19):

> *εἰ δέ τιν' ἄλλον ἔλοις ἐν κόλποις ὃς κατάκειται*
> *κεῖνον ἀπωσάσθω*

et adnotat: „de utero usurpatur et *κόλποι* saepissime et *κόλπος*, Sext. Emp. adv. math. V 62, Poll. II 222". Idem aliud exemplum addit „quod de Junone flore gravidata dicitur apud Ovid. in Fast. V, 256:

> „tangitur et tacto concipit illa sinu",

et (Mithrasliturgie p. 136) confert Indorum ritum, quem Coleman, Hindu-Myth. p. 151, descripsit: „for the purpose of regeneration it is directed to make an image of pure gold, of the female power of nature, in the shape either of a woman or of cow. In this statue the person to be regenerated is enclosed and dragged through the usual channel". Comparetti l.l. p. 28 confert „*Ἀίδεω*" *κόλπον* (Kaibel, Epigr. Gr. 237) et *κόλπον Ἀβραάμ* (Evang. Luc. XVI, 22), sed neque his exemplis neque locutione q. e. „*μητρὸς γαίης ἐνὶ κόλποις*" (Kaibel l.l. 422,2; cf. 56,1; 88,8; 214,7) versus noster illustratur.

qui dicat δεσποίνας ὑπὸ κόλπον ἔδυν velle profiteri... se ab Inferorum dea ut *filium*[1]) acceptum et quasi adoptatum esse".

Rohde[2]) autem hanc interpretationem reiecit hanc ob causam: „hier sind wir im Hades und es ist wenigstens nicht leicht zu glauben, dass im Hades, in Gegenwart der Göttin selbst (die doch einen nur symbolischen Act der bezeichneten Art unnötig macht) dieses διέλκεσθαι διὰ κόλπου vorgenommcn gedacht werde." Sed secundum Dieterichum[3]) mortuus non in Inferorum regia sed in orgiis quae in terra adhuc vivens celebrarit hunc ritum se exsecutum esse dicit.

Rohdii igitur argumentum irritum fit et statuimus thiasotam re vera in mysteriis solemnissimo hoc ritu exsequendo Proserpinae filium renatum esse ideoque θεὸν ἀντὶ βροτοῖο factum et ipsius Dionysi nomine[4]) q. e. ἔριφος appellatum esse in symbolo mystico in quod huius carminis pars altera exit. Locus autem ipse, ubi Proserpinae sinu tacto mysta renatus est, fortasse idem est atque is quem mysta alacri pede ingressus est:

---

1) D. scripsit *liberum*.

2) Rohde, Psyche II p. 421; versum vertit: „Ich suche Schutz an ihrem mütterlichen Busen (oder Schooss)".

3) Dieterich, Mithraslit. p. 136, Rohdio respondet haec fere: „Daran will ich auch keineswegs denken; der symbolische Akt ist einst bei der Einweihung auf Erden im Kultritual vorgenommen worden und darauf beruft sich der Myste.... Er beruft sich auf seine einst rituell vollzogene Kindschaft der Göttin gegenüber".

4) Dionysi nomen q. e. ὑποκόλπιος Dieterich cum his adoptionis ritibus olim contulit (Kl. Schr. p 98) sed deinde παλινῳδησε (Mithraslit. p. 122/3): „Die angeführten Stellen (Clemens, Protr. II, 16, Arnobius, V 21, Hymn. Orph. LII, 11) habe ich einst fälschlich mit Adoptionsriten zusammengebracht."

dico *στέφανον*. Proserpinae adyton (an lectum fuisse censes?) cum corona cinctum esset, hoc nomine v. 6 designatum esse conicio. [1])

Mysta qui renatus est *ὄλβιος* audit, quod nomen Pindarus hominibus mysterii participibus tribuit: [2])

ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα κοῖλαν εἶσιν ὑπὸ χθόνα·
οἶδεν μὲν βιότου τελευτάν,
οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

Quos versus Dieterich ita interpretatur [3]) ut mysta ea quae *οἶδεν* in orgiis expertus sit. Et recte quidem ille haec. Concludimus igitur initiandum non solum *διόσδοτον ἀρχάν* in mysteriis vidisse sed etiam *βιότου τελευτάν*.

Re vera homo, qui Mithrae, Isidi, Attidi initiatur,

---

[1]) Versum 6 post v. 7 una litera mutata repetitum hunc in modum:

ἱμερτοῦ δ' ἀπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι

editores delent. Nisi delemus statuendum est mystam dixisse se Proserpinae sinu tacto e corona egressum esse. Eum in corona non semper mansisse intellegimus, sive versus adest, sive deest. Versus igitur supervacaneus est. Cf. Foucart, Recherches sur... p. 70: „peut-être est-ce un refrain de la formule repris avec intention".

[2]) Pindarus apud Clement. Alex. Strom. III p. 518 = fr. 137 Bgk.; cf. Homer. H. in Cerer. v. 485:

Ὄλβιος, ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων·

Eur. Bakch. v. 75 seq.:

ὦ μάκαρ, ὅστις εὐδαίμων | τελετὰς θεῶν εἰδὼς | βιοτὰν ἁγιστεύει κ.τ.λ.

Sophocl. fr. 348 (Didot):

ὡς τρισόλβιοι | κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη | μόλωσ' ἐς ᾅδου·

et Foucart, Recherches sur.... p. 51—56.

[3]) Dieterich, Mithraslit. p. 169.

„moriturus" audit [1]), *τελευτᾶν* [2]) et „accessisse confinium mortis" [3]) et „calcasse Proserpinae limen" se dicit et homo, qui *τελεταῖς μεγάλαις κατοργιάζεται*, eandem actionem ad instar voluntariae mortis exsecutus esse videtur.

Quod apparet ex Plutarchi fragmento hoc [4]): *τότε δὲ πάσχει* (animus moriens) *πάθος οἷον οἱ τελεταῖς μεγάλαις κατοργιαζόμενοι. διὸ καὶ τὸ ῥῆμα τῷ ῥήματι καὶ τὸ ἔργον τῷ ἔργῳ τοῦ τελευτᾶν καὶ τελεῖσθαι προσέοικεν. πλάναι τὰ πρῶτα καὶ περιδρομαὶ κοπώδεις καὶ διὰ σκότους τινὲς ὕποπτοι πορεῖαι καὶ ἀτέλεστοι, εἶτα πρὸ τοῦ τέλους αὐτοῦ τὰ δεινὰ πάντα, φρίκη*

[1]) Firmicus Maternus, De errore profanarum religionum, c. 18, explanat: „quibus se signis vel quibus symbolis in ipsis superstitionibus miseranda hominum turba cognoscat. Habent enim propria signa, propria responsa, quae illis in istorum sacrilegiorum coetibus Diaboli tradidit disciplina. In quodam templo, ut in interioribus partibus *homo moriturus* possit admitti, dicit: »de tympano manducavi, de cymbalo bibi et religionis secreta perdidici«". Cf. Dieterich, Mithraslit. p. 103 et 216; prave Lobeck, Aglaoph. I p. 24 pro „moriturus" coniecit „oraturus", Bursian et Halm „introiturus"; neque recte Münterus „moriturus" interpretatur „mortalis". Cf. Maass, Orpheus p. 176[3] et De Jong, De Apuleio Isiacorum Mysteriorum teste, § 17.

[2]) ΑΠΑΘΑΝΑΤΙΣΜΟΣ, Dieterich, Mithraslit. p. 14 v. 31 seq.: *κύριε πάλιν γενόμενος ἀπογίγνομαι αὐξόμενος καὶ αὐξηθεὶς τελευτῶ, ἀπὸ γενέσεως ζῳογόνου γενόμενος εἰς ἀπογενεσίαν ἀπολυθεὶς πορεύομαι, ὡς σὺ ἔκτισας, ὡς σὺ ἐνομοθέτησας καὶ ἐποίησας μυστήριον.*

[3]) Apuleius, Metam. l. XI c 21: „nam et inferum claustra et salutis tutelam in deae manu posita ipsamque traditionem *ad instar voluntariae mortis* et precariae salutis celebrari, quippe cum *transactis vitae temporibus iam in ipso finitae lucis limine constitutos*" etc.; l. l. c. 23: „*Accessi confinium mortis et calcato Proserpinae limine* per omnia vectus elementa remeavi." Cf. Dieterich, l. l. p. 162 et De Jong, Das Antike Mysterienwesen, p. 47-51; 176.

[4]) Stobaeus, Flor. IV p. 107 (cf. supra cap. III § 4). Sicut in mysteriis Eleusiniis dea ipsa, ita in sacris Thurinis initiandus *τὰ μὲν ποιεῖ, τὰ δὲ πάσχει* (Greg. Naz. Or. XXXIX, 4).

καὶ τρόμος καὶ ἱδρὼς καὶ θάμβος· ἐκ δὲ τούτου φῶς τι θαυμάσιον [1]) *ἀπήντησε καὶ τόποι καθαροὶ καὶ λειμῶνες ἐδέξαντο.*

Exspectamus igitur etiam in Dionysi *Ἐρίφου* mysteriis eandem actionem ad instar mortis perpetratam esse. Quid quod hierophanta hominem initiandum hunc in modum instruxit:

ἀλλ' ὁπόταμ ψυχὴ προλίπηι φάος ἀελίοιο,
δεξιὸν ἔνθ', ἅς δεῖ, πεφυλαγμένον εὖ μάλα πάντα. [2])
χαῖρε παθὼν τὸ πάθημα, τὸ δ' οὔπω πρόσθ' ἐπεπόνθεις·
θεὸς ἐγένου ἐξ ἀνθρώπου· ἔριφος ἐς γάλα ἔπετες.
χαῖρε, χαῖρε, δεξιὰν ὁδοιπορ[ῶν]
λειμῶνάς τ(ε) ἱεροὺς κατά τ' ἄλσεα Φερσεφονείας.

---

[1]) Cf. inscriptio, Ἐφημ. ἀρχαιολ. 1883, p. 79: νυξὶν ἐν ἀργε(ι)ναῖς quae sunt ἡελίου κάλλιον λαμπόμεναι (l. l. p. 146). Foucart (Recherches sur l'origine etc. p. 58) Dion. Chrysost. Or. XII p. 387 (ed. Reiske) confert: σκότους τε καὶ φωτὸς ἐναλλὰξ γενομένων et Lucian. catapl. 22.

[2]) In lamina Th. IV, versus 2 hypermeter legitur:

ΔΕΞΙΟΝ ΕΝΟΙΑΣ ΔΕΙ ΤΙΝΑ ΠΕΦ κ. τ. λ.

Comparetti proposuit:

ἀλλ' ὁπόταν ψυχὴ προλίπῃ φάος ἀελίοιο
δεξιὸν ἐννοίας, πεφυλαγμένον εὖ μάλα πάντα
. . . . δεῖ τινα . . . .

Palmaris emendatio Dielsii est qui pro Ο restituit Θ et versum in integrum restituit:

δεξιὸν ἔνθ', ἅς δεῖ, πεφυλαγμένον εὖ μάλα πάντα.

Quem vertit hunc in modum: »gelange auf die rechte Seite, bis wohin man (gelangen) darf«; ἅς dorice pro ἕως scrupulum non inicit, cf. v. 4 aorist. ἔπετες et carmen A passim. (Vide supra cap. III § 3, C.) Diels ΤΙΝΑ delet; literae interpolatori debentur aut exaratae sunt loco alieno.

Rohde eandem vim et potestatem nostro versui subesse iam coniecit et proposuit: δεξιὸν εἰσιέναι πεφ. κ. τ. λ.

Haec nonne ita accipienda sunt, ut homo initiandus, hierophantae traditus, e luce auferatur [1]) eique *πορεῖαι διὰ σκότους* faciendae sint? In tenebris autem suspicamur eum *τὸ πάθημα* passum esse, quod nunquam antea passus erat. Quod perpessus deus ex homine factus est. Fieri igitur non potest quin in tenebris (fortasse in *τελεστηρίου* parte subterranea [2]) aliquid ad instar mortis et regenerationis sit peractum.

Mysticam autem mortem et regenerationem quam aptissime voce *πάθημα* [3]) designari videmus, quae omnino similis est isti *πάθει*, quod patitur is qui *μεγάλαις τελεταῖς* initiatur.

---

[1]) Hierophanta sive *μυστῶν ἡγητήρ* (Kaibel, Epigr. 865, Eleusine) initiandum instruere videtur, non de iis quae post mortem naturalem sint faciendae, sed de *πορείαις* et *δεινοῖς* in ipso telesterio patiendis; prata enim et lucus Proserpinae respondent iis qui (*τόποι καθαροὶ καὶ λειμῶνες*) hominem teletis magnis *κατοργιαζόμενον ἐδέξαντο.*

[2]) Cf. Hesych. s. v. *ἀδύτῳ . . . τὰ ἀφανῆ καὶ μύχια τῶν ἱερῶν οἷον ὀροφαί, οἶκοι ὑπόγειοι, σκοτεινοί*, et Asterius, Homil. X in martyres XL, p. 324 Migne (cf. Maass, Orpheus, p. 177 [3]).

[3]) Alii interpretes aliam vim et potestatem huic voci subiecerunt: Alline hoc *πάθημα* experimentum esse iudicat, quo probatus homo in deum mutatur, et haec patienda adaequat *τῷ πιεῖν θείης ἀπὸ κρήνης*; en eius argumentatio (Xenia, p. 99) de versu: *καὐτοί σοι δώσουσι πιεῖν θείης ἀπὸ κρήνης* (lam. Petel., v. 10): „Ainsi se trouveront arrachés de l'âme les derniers lambeaux de la nature mortelle; cette épreuve est la plus douloureuse de celles que l'âme ait jamais subies, mais c'est une douleur salutaire: *χαῖρε παθὼν τὸ πάθημα κ. τ. λ.* »Réjouis-toi, quand tu auras éprouvé cette soufrance que jamais encore tu n'avais éprouvée«. Et pourquoi? Le hiérophante l'explique. C'est que, par cette épreuve suprême, »d'homme tu est devenu dieu, (transformé en) chevreau, tu est tombé dans le lait«". Quam interpretationem Delatte iure repudiavit hunc in modum: »Je crois que ce rapprochement entre deux inscriptions, dont le texte est différent (lam. Thur. I et lam. Petelina) est tout à fait arbitraire.

§ 3. *De morte mystica.*

Videamus quo modo mystae hanc actionem ad instar mortis celebrarint. In *ΤΕΛΕΤΑΙΣ ΜΕΓΑΛΑΙΣ*[1]) sunt *τὰ δεινὰ πάντα, φρίκη καὶ τρόμος καὶ ἱδρὼς καὶ θάμβος,* quae *φῶς τι θαυμάσιον* sequitur, et Proclus[2]) rettulit *ἐν τῇ μυστικωτάτῃ τῶν τελετῶν τοὺς θεουργοὺς* iussisse *θάπτειν τὸ σῶμα πλὴν τῆς κεφαλῆς.*

In *Mithriacis sacris* haec actio homicidio similis fuisse videtur; Commodus[3]) enim „sacra Mithriaca homicidio vero polluit, cum illic aliquid ad speciem timoris vel dici vel fingi soleat."

Dans le poème du n⁰. 638 (lam. Petel.) d'ailleurs l'âme elle-même demande à boire aux gardiens de la fontaine; elle déclare qu'elle est desséchée et qu'elle se meurt. L'eau de la fontaine, qui est évidemment de la Mémoire, connue par des autres textes, sert donc à la refraîchir et à la vivifier, loin de constituer une épreuve.« Et recte quidem ille Mnemosynae donum optatissimum et *πάθημα*, quod mysta nunquam antea passus erat, distinxit; sed minus recte idem coniecit *πάθημα* significare iter (*πορείας*) post mortem naturalem faciendum (il est difficile de dire, d'apres le contexte, à quoi il se rapporte . . . . Il est possible que ce terme assez vague désigne simplement le voyage lui-même avec ses diverses péripéties et l'impression qu'il produit sur l'âme) neque Dielsii adnotatio prodest: »in den verschiedenen Stadien der Metempsychose ist die Seele bisher noch nicht zum letzten und höchsten, der Apotheose, angelangt.« Mysta enim non per metempsychosin ad apotheosin pervenit, sed per mortem ad regenerationem; quod pellucidē apparet ex Plutarchi fragmento quod supra exscripsi.

[1]) Vide Plurarchi fragmentum supra (§ 2 B) allatum.

[2]) Proclus in Plat. theol. IV, 9 scripsit: *καὶ ὃ πάντων ἐστὶ θαυμαστότατον, ὅτι τῶν θεουργῶν θάπτειν τὸ σῶμα κελευόντων πλὴν τῆς κεφαλῆς ἐν τῇ μυστικωτάτῃ τῶν τελετῶν, ὁ Πλάτων καὶ τοῦτο προείληφεν* . . . Cf. Dieterich, Mithraslit. p. 163.

[3]) Vita Commodi, c. IX.

In *sacris Magnae Matris:*[1])

sacrandus accipit sphragitidas.
Acus minutas ingerunt fornacibus:
his membra pergunt urere, ut igniverint (?),
quamcumque partem corporis fervens nota
stigmarit, hanc sic consecratam praedicant.

In *Bacchanalibus* Romae initio saeculi II a. Chr. celebratis [2]) caedem simulatam esse veri simile est. Quod nullus quidem historicus aperte pronuntiavit sed, nisi omnia me fallunt, sequitur ex Livii narratione, qui rettulit in Bacchanalibus homines interemptos esse „ita ut ne corpora quidem interdum ad sepulturam exstarent". [3]) Idem autem addidit „ut quisque introductus

---

[1]) Sunt versus Prudentii, Philostephanon X, 1076 seq.:

quid, cum sacrandus accipit sphragitidas? etc.

Deinde poeta pergit hunc in modum:

Functum deinde cum reliquit spiritus,
et ad sepulcrum pompa fertur funebris, etc.

cf. Dieterich, l. l. p. 165.

[2]) De Bacchanalibus Livius scripsit, l. 39, c. 8—19. Romae anno 186 a. Chr. »Bacchanaliorum scelera Aebutio quodam adolescente deferente detecta sunt« (Firm. Matern. De Errore Prof. Rel. 6), sed tunc iam diu in urbe celebrata erant. Augustinus enim (De Civitate Dei, l. XVIII, c. 13) scripsit: »de Bacchanalium turpitudine *post tam multos annos* Senatus sic erubuit, ut in urbe Roma esse prohiberet.« et (l. VI, c. 9): »Sic Bacchanalia summa celebrabantur insania ubi Varro ipse confitetur a Bacchantibus talia fieri non potuisse nisi mente commota. Haec tamen *postea* displicuerunt senatui saniori et ea iussit auferri. *Saltem hic tandem* senserunt quid immundi spiritus, dum pro diis habentur, in hominum mentibus possint.« Cf. Valer. Max. l. I, c. 3, § 1.

[3]) Livius, l.l. c. 8, § 8.

sit, velut victimam tradi sacerdotibus" [1]) et initiandos deduci in locum „ubi omnia infanda patienda primum deinde facienda essent". [2]) Et Livius quidem Bacchis veras caedes obiecit, [3]) sed nos ex eius narratione haec enucleata collegimus: eos qui tamquam victimae sacerdotibus traderentur et ita interimerentur ut corpora ad sepulturam non exstarent, mortem non naturalem sed mysticam subiisse. Illa quae Bacchis „patienda" erant, consonare videntur cum illo „πάθημα" quod mysta Thurinus subibat cum initiaretur. Sodales autem Italiae inferioris non nescii erant

Μοίρᾳ πάντα δαμαστά, πάντα κρατυντά
ἐμβρόντητα δὲ πάντα, τὰ Μοίρης τλητέα πάντη

esse, quod [4]) lamina Thurina quinta evidenter demonstrat [5]).

Quid quod caerimoniarum seriei, quae carminis mystici v. 5-7 legitur, praemittitur versus 4:

ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν.

---

[1]) Livius, l.l. c. 10, § 7., Hispalam Feceniam haec dicentem fecit; quae et ipsa l. l. c. 12 § 6 dicit se „initiatam" esse.

[2]) Livius, l.l. § 8 (sunt verba Hispalae Feceniae).

[3]) Livius, l.l. c. 13, § 11, Hispalam Feceniam fecit narrantem homines in Bacchanalibus immolatos esse, sed qui legit consulum ad Teuranos epistolam (Senatus Consultum de Bacchanalibus, C. I. L. I, p. 43, n⁰. 196, cf. X, 13, n⁰. 104; Ritschl, Priscae Latin. mon. epigraf., tab. XVIII) intelleget a. 186 nullum senatus consultum factum esse ne homo immolaretur (cf. Plinius, N. H. XXX, 13). Hispala, quae »scortum nobile« audit, digna non est cui fidem habeamus.

[4]) Vide supra § 1 et cap. IV § 3, B.

[5]) Cf. Hymn. Orph. 59, ΜΟΙΡΩΝ, v. 13 seq.:

ὅσα γίγνεται ἡμῖν
Μοῖρά τε καὶ Διὸς οἶδε νόος διὰ παντὸς ἅπαντα.

Quo versu aut dicitur mortuus re vera διόβλητος fuisse, aut . . . . . . mors mystica describitur. Eundem autem hominem et de coelo tactum et Dionyso initiatum esse vix credi potest. Quantum enim interest inter heroïcum διοβλήτων cultum et Dionysiaca ἐριφιήματα? Ergone mors mystica hoc versu designatur? Hoc accuratius inquirere volumus.

Primo adnotamus [1]) versus laminis inscriptos illustrari Bacchorum ritibus a Livio descriptis. Sacra enim quae nomine Bacchanalium innotuerunt et in quae a. 186 a, Chr. Senatus Romanus tam severe animadvertit, continuatio [2]) mysteriorum Italiae inferioris fuerunt.

Quam ob causam ea recensere volumus quae Livius de Bacchorum morte mystica rettulit. Iam adnotavi initiandum velut victimam a sacerdotibus deduci solitum esse in locum ubi τὸ πάθημα subeundum esset. Quid autem in loco illo infernali fiebat? Livius narrat: „multa dolo, pleraque per vim audebantur. Occulebat vim, quod prae ululatibus tympanorumque et cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter stupra et caedes exaudiri poterat" [3]) et hunc locum circumsonare „ululatibus cantuque symphoniae et cymbalorum et

---

[1]) Recte Wissowa, Religion und Kultus der Römer [2], p. 64[2] „für Inhalt und Richtung dieses . . . Geheimdienstes (Bacchanalia) sind lehrreich die griechischen Inschriften auf Goldplättchen unteritalischer Gräber aus dem 4 Jahrh.". Cf. Lenormant, la Grande Grèce, I p. 423.

[2]) Fortasse tunc temporis (a. 186) nonnulla Etrusca Bacchanalibus admixta fuerunt; Livius enim scripsit: „huius mali labes ex Etruria Romam velut contagione morbi penetravit" (l. l. c. 9, § 1). Sed quaenam Etrusco appulsui debeantur enucleare difficilius est.

[3]) Livius, l. l. c. 8 § 8.

tympanorum pulsu."[1]) Notissimus autem est tympanorum cymbalorumque in mysteriis usus. Audi quae Aeschylus[2]) de Bacchanalibus Thraciis rettulit:

ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει
ταυροφθόγγου δ' ὑπομυκῶνται
ποθὲν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι
τυπάνου δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογαίου
βροντῆς, φέρεται βαρυταρβής.

Locus initiationis resonat cymbalorum tympanorumque strepitu ad instar ὑπογαίου βροντῆς. An rumorem istum μανίας ἐπαγωγόν excitabant ad imitationem tonitruum fulminumque fragoris? Facile credi potest cum meminerimus Jovis Idaei mystas, qui Bacchi nuncuparentur, νυκτιπόλου Ζαγρέως βροντάς perpessos se dixisse.[3]) Nam βροντὰς τελέσαι aut nihil significat, aut dicitur de mysta qui omnes Jovis Fulguris terrores expertus est. Nunc in mentem revocamus quae Porphyrius de Pythagora rettulit. Qui, cum Cretae

---

[1]) Hispala Fecenia apud Livium, l. l. c. 10 § 7.

[2]) Aeschylus fr. 55, v. 7-11 (Ἠδωνοί); cf. v. 5 „μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλήν."

[3]) Euripid. Cretes fr. 475 v. 9 seq.: ἁγνὸν δὲ βίον τείνομεν(?)ἐξοῦ

Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην
καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως βροντὰς
τάς τ' ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας
μητρί τ' ὀρσίᾳ δᾷδας ἀνασχὼν
καὶ Κουρήτων
βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.

Neque Lobeckii coniectura σπονδάς (Aglaoph. p. 622) neque Dielsii coniectura βουτάς = βουκόλος opus et; locus non mutandus sed interpretandus est. Recte Murray (Harrison, Prol. p. 480) vertit:

"Where midnight Zagreus roves, I rove;
I have endured his thunder cry".

Hermann (apud Lobeckium p. 622, g) proposuit βροντῆς (μύστης Διὸς καὶ βροντῆς Ζαγρέως).

mysteriis initiaretur et in Jovis Idaei antrum descenderet *λίθῳ κεραυνίῳ κεκαθαρμένος* esse dicitur.[1]) Qua ex fabula hoc certe apparet mystas Creticos aliquid per *κεραυνόν* exsecutos esse.

Adde quod Pythagorei dicebant[2]) *βροντᾶν ἀπειλῆς ἕνεκα τοῖς ἐν Ταρτάρῳ ὅπως φοβῶνται.* Quae sententia inde orta esse videtur, quod in mysteriis revera tonitrus fulminisque fragorem imitarentur ut initiandis metum incuterent.[3])

Deinde adnotamus secundum Hispalam Feceniam[4]) „si qui minus patientes dedecoris sint et pigriores ad facinus, pro victimis immolari" eosque „machinae illigatos ex conspectu in abditos specus abripi".[5]) Hispala quidem dicit „eos esse, qui aut coniurare aut sociari facinoribus aut stuprum pati noluerint",[6]) sed homines ex conspectu abrepti iidem atque ei quorum corpora ad sepulturam non exstarent fuisse videntur et locum tympanis cymbalisque circumsonantem abditis specubus non adaequare difficile est.

Homines autem, qui a sacerdotibus in abditum locum vel specum abripiebantur et pro victimis immolabantur,

---

[1]) Porphyrius, V. P. c. 16; cf. supra cap. IV § 2 A (p. 72) et infra cap. VI § 2.

[2]) Aristot. anal. post. 94 p. 31 seq.; cf. praeceptum Pythag.: *ὅταν βροντήσῃ, τῆς γῆς ἅψασθαι* (Iambl. V. P. 156) et vide supra cap. IV § 2 A.

[3]) Cf. Origenes contra Celsum II, 10: *Κέλσος ἐξομοιοῖ ἡμᾶς τοῖς ἐν ταῖς Βακχικαῖς τελεταῖς τὰ φάσματα καὶ δείματα προεισάγουσιν.* Proclus, In Remp. p. 14 Pitra: *τοὺς μὲν τῶν τελουμένων καταπλήττεσθαι δειμάτων θείων πλήρεις γιγνομένους.* Procl. In Alcib. I p. 61 Creuzer: *προηγοῦνται τῶν δρωμένων καταπλήξεις τινές.* Cf. Procl. In Alcib. I p. 39 et p. 142 (locos exscripsit Maass, Orpheus p. 95[122]).

[4]) Livius haec Hispalam Feceniam facit dicentem l. l. c. 13 § 11.

[5]) Livius, l. l. c. 13, § 13.

[6] Livius, l. l.

„rapti a diis" dicti sunt. [1]) Sed unde iis hoc nomen? Mysta qui in literis sepulcralibus hoc scriptum voluit:

ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν

aperte pronuntiavit se a Moira et Jove Fulgure raptum esse. Nonne apparet Bacchos „raptos a diis" eosdem ac mystas „raptos a Moira et Jove Fulgure" esse? Hanc raptionem vel mortem mysticam nobis ita informare possumus, ut fingamus initiandos velut victimas machinae illigatos sacerdotibus traditos esse, sacerdotes „victimas" deduxisse in specum abditum vel telesterii partem subterraneam; ut lumen diei occiderit et tenebrae secutae sint, undique tympana et cymbala circumsonuisse ad instar tonitruum fulminumque fragoris. Cum haec accidant et tenebrae oboriantur, quo animo mystam esse credis? Nonne mortis praesagia undique eum agitant, urguent, premunt, denique opprimunt? Verum enim vero, facile nobis fingere possumus eum deficere et intermori. Livius auctor est „raptos a diis" fuisse [2]) „vigiliis,

---

[1]) Hispala apud Livium l. l. c. 13 § 13 narrat: „Raptos a diis homines dici, quos machinae illigatos ex conspectu in abditos specus abripiant; eos esse qui" etc. Secundum Rohdium (Psyche II p. 374[3]) Bacchi machinae illigati et in abditos specus abrepti sunt ad imitationem Amphiarai Throphoniique ἀφανισμοῦ et ἀπαθανατίσεως. De Jong (Das antike Mysterienwesen p. 167 et 274) opinatur Bacchos credidisse „raptorum a diis" corpora in coelum elata esse. Neque Rohde neque De Jong interpretationem suam argumentis probavit; hic neque de miro quod dicitur „Entrückungswunder" neque de miraculo quod dicimus „elevatie" agitur: raptus dicitur is quem improvisa leti vis rapuit.

[2]) Livius l. l. c. 15 § 9; secundum consulem (Postumium?) cuius oratio legitur cap. 15 et 16 „primum . . . mulierum magna pars est, et is fons mali huiusce fuit, deinde simillimi feminis mares, stuprati et constupratores, fanatici, vigiliis, vino, strepitibus clamoribusque nocturnis attoniti".

vino, strepitibus clamoribusque attonitos" et nos intellegimus sacerdotes victimas suas attonuisse ita, ut crederent se ἐμβροντήτους esse. Nunc perspicuum est quid carminis mystici versus 4 sibi velit: mysta profitetur se Jovis βροντάς perpessum tamquam ἐμβρόντητον mortis limen calcasse. Re vera autem sacerdotes eum tympanis cymbalisque attonuerunt.

Postremo adnotamus Bacchis secundum Livium non caedes solum sed stupra etiam subeunda et omnia infanda non patienda solum sed facienda etiam fuisse. [1]) Sed quaenam stupra Livius dixit? Legimus [2]) „mixti feminis mares, aetatis tenerae maioribus". Paulisper in re obscurissima subsistendum est. Quid enim hoc sibi velit rogatum volo: infantes hominibus maioribus natu mixtos esse? Aut foedissima facinora in Bacchanalibus perpetrata sunt, aut initiandus ...ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας. Veri similius autem est, sicut illud caedium crimen, ita etiam stuprorum crimen fictum esse a scriptoribus antiquissimae Bakcheiae profanis. An praestare videtur Livium non falsi arguere et sumere mavis ex solemnissimo ritu τοῦ ὑπὸ κόλπον δῦναι, ortum esse turpissimum facinorum genus? [3]) Sane ita fieri potuit! Sed

---

[1]) Livius l. l. c. 8 et c. 10.

[2]) Livius l. l. c. 8 § 6.

[3]) Cf. Lenormant, la Grande Grèce I p. 420: „Les initiations originaires de la Grande Grèce prirent chez les Romains un développement rapide et y perdirent leur gravité primitive, pour devenir un prétexte à débauches et une école de flagrante immoralité" (cf. l. l. p. 404 et p. 423). De sceleribus quae Bacchis exprobraverunt vide Reinachii disputationem „Une ordalie par le poison à Rome et l'affaire des Bacchanales", Revue Archéol. XI (a. 1908) p. 236—253. Recte Reinach l. l. p. 252: „Sans prendre la peine de

utique constare videtur Bacchorum ritus omnino consentire cum caerimoniis in laminis enumeratis.

Ex hisce, quae de morte et regeneratione mystica disputavi, satis apparet cur versus 4 non ad priorem carminis partem trahendus sit. Neque minus certa indicia innotuerunt, e quibus profectus hanc seriem *τῶν δρωμένων* fuisse conicio:

a. Mysta a diis raptus est.

b. Exsiluit e circulo synthiasotarum, qui facibus eum *κύκλῳ* circumdederunt.

c. E circulo qui exsiluit coronam alacri pede ingressus est et [1]) *(d.)* procubuit in sinum Proserpinae.

Has caerimonias versibus 4-7 descriptas esse opinor. Quae si recte disputata sunt, iam non obscurum est, quid versus laminae Thurinae IV sibi velint, qui sunt:

> *ἀλλ' ὁπόταμ ψυχὴ προλίπῃ φάος ἀελίοιο*
> *δεξιὸν ἐνθ', ἂς δεῖ, πεφυλαγμένον εὖ μάλα πάντα.*
> *χαῖρε παθὼν τὸ πάθημα· τὸ δ' οὔπω πρόσθ' ἐπεπόνθεις.*

---

choisir parmi elles, on attribuait aux initiés tous les crimes possibles, les crimes en bloc. Aujourd'hui, le récit de Tite Live en main, l'histoire constate qu'il n'y eut pas d'enquête sérieuse, mais une dénonciation unique, peut-être entorquée, à coup sûr mensongère, qui donna prétexte à l'établissement d'un régime de terreur; ce ne fut pas le salut des moeurs romaines, mais la ruine de l'hellenisme en Italie". (Secundum Livium consul contionatus est l. l. c. 16 § 2: „quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid scelere peccatum est, ex illo uno sacrario scitote ortum esse". Cf. Livii sententia quam scripsit c. 8 § 7 et 8.) Neque Lenormant neque Reinach enucleare conatus est quid sibi velint illa caedium stuprorumque crimina.

[1]) Vide supra § 2 B; veri simile est c et d ad eundem ritum pertinere; mysta enim primo coronam ingressus est, deinde in sinum Proserpinae procubuit, postremo e corona egressus est.

Nam quod supra coniecimus nunc omnes in se habere numeros veritatis videtur: mystagogus initiandum „moriturum" instruit quid sit faciendum in ipso mortis limine et initiato gratulatur quod per mortem et regenerationem mysticam pervenerit ad prata et lucum Proserpinae, quae *τοὺς καθαρούς τε καὶ ὁσίους* excipiunt.

§ 4. *De versu 8*:

ΟΛΒΙΕ ΚΑΙ ΜΑΚΑΡΙΣΤΕ, ΘΕΟΣ Δ' ΕΣΗΙ ΑΝΤΙ ΒΡΟΤΟΙΟ.

Rogamus quem carminis auctor haec verba locutum fecerit. Equidem arbitror rem ita informandam esse ut sumamus sacerdotem deae cuius in sinum mysta procubuit partes egisse et hunc versum pronuntiasse. Notabile enim est in lamina Thurina quarta mystagogum sive hierophantam initiato gratulari: *θεὸς ἐγένου ἐξ ἀνθρώπου,* et meminimus hierophantas semper *τὰ δρώμενα* et *τὰ δεικνύμενα* prosecutos esse *τοῖς λεγομένοις.* Aristides [1]) de mysteriis agens scribit: *τίνι δ' ἄλλῳ χωρίων ἢ μύθων θαυμαστότεραι φῆμαι ἐφυμνήθησαν ἢ τὰ δρώμενα μείζω τὴν ἔκπληξιν ἔσχεν, ἢ μᾶλλον εἰς ἐφάμιλλον κατέστη ταῖς ἀκοαῖς τὰ ὁρώμενα;* et in inscriptione [2]) aetate imperatoria composita hierophanta profitetur se humanas voces missas fecisse „*ὧν λόγων ἀναπαυσάμενος .... θέσφατα νῦν ἰά(κ)χω*". Insignis est analogia hierophantae Eleusinii et mystagogi Thurini; re vera is qui dicit *θεὸς ἐγένου ἐξ ἀνθρώπου* pronuntiat *θέσφατα.* Ergo carminis mystici v. 8 *θέσφατος* est; in lamina

[1]) Aristid., Eleusin. p. 256.

[2]) Ephemeris Archaeol. 1883, p. 30; cf. inscriptie, C. I. A. III 713. De *τοῖς λεγομένοις* vide Foucartii commentationem, Recherches sur l'origine ..., p. 59 seq.

legimus promissum quod mystae ex ore deae assonuit.

Dea autem eum *ὄλβιον* et *μακάριστον* dixit, quae epitheta[1]) sunt eius qui:

οἶδεν μὲν βιότου τελευτάν
οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.

Quae cum mysta expertus esset non *τὰ δρώμενα* solum sed etiam *τὰ λεγόμενα* literis mandata voluit. Postremo autem formulam metro solutam addidit, quam ipse, cum omnia *δρώμενα* exsecutus esset et divinam vocem exaudisset, pronuntiavit. Tunc gloriatus est se re vera Proserpinae filium factum esse. Quod designat Dionysi nomine q. e. *Ἔριφος*, quo et ipse mysta iam se nuncupat.

§ 5. *De formula:*
ΕΡΙΦΟΣ ΕΣ ΓΑΛΑ ΕΠΕΤΟΝ.

Mysta Thurinus *Ἔριφος* audit[2]), sicut Iovis Idaei mysta *Βάκχος ἐκλήθη* et feminae Romanae Dionyso initiatae Bacchae dicuntur. Quid vero quod is qui per omnia initia iit nunc dicit se haedum „in lac cecidisse"? Hac in re cum multi[3]) operam posuerint et alii aliter formulam

---

[1]) Vide locos quos supra (§ 2 B) exscripsi.

[2]) De deo q. e. *Ἔριφος* egi cap. II § 4. Cf. lam. Thur. IV v. 4:

θεὸς ἐγένου ἐξ ἀνθρώπου, ἔριφος ἐς γάλα ἔπετες.

Mystagogi voces sunt metro solutae. Cf. Dieterich. Kl. Schr. p. 97[4]: „Haud dubie non inter versus ipsos antea sic scriptum erat. Pro illo *ἐγένου θεὸς ἐξ ἀνθρώπου* olim lectum esse e.c.: ...*θεὸς δ' εἷς ἀντὶ βροτοῖο* puto."

[3]) En interpretum catalogus:

a. 1891, Dieterich, de Hymnis Orphicis, p 36—37 = Kleine Schriften, p. 97.

a. 1901, S. Reinach, Revue Archéol. XXXIX, p. 205—212 = Cultes, mythes et religions, II, a. 1906, cap. XI.

a. 1903, Harrison, Prol., p. 595—598.

„ Dieterich, Mithraslit, p. 170 seq.

explanare conati sint, variorum interpretum sententias perlustrare volumus. Primo agimus de eis qui *γάλα* pro *γαλαξία* [8]) positum esse opinantur, deinde de eis qui locutionem *ἐς... ἔπετον* ad literam accipiendam esse posuerunt, tum de iis qui aliam vim et potestatem huic locutioni subesse coniecerunt; postremo autem meam sententiam proferam.

A. *De eorum sententia qui γάλα pro γαλαξία positum esse opinantur.*

Dieterich in mentem nobis revocat „lac, primum atque optimum hominum nutrimentum" donare suis Bacchum [1]) et choro Bacchico appropinquante ubique

---

a. 1907, Diels, Philotesia, p. 44.
a. 1910, R. Pichon, Revue d. Et. Gr., p. 57—61.
„ Comparetti, Lam. Orf., p. 9[3].
(Olivierii liber „Cultura Gr. in M. Gr. e Sic." mihi non prae manibus fuit; eius interpretationem legi in Comparettii libro l. l.)
a. 1912, Alline, Xenia, p. 101—107.
a. 1913, Delatte, Musée Belge, p. 129—135.

Cf. Rohde, Psyche, II, p. 220[3] — Foucart, Recherches sur l'origine ..., p. 70 — Dieterich, Mithraslit. p. 199[1] et 214 — Gruppe, in Roscheri lexico s.v. Orpheus, p. 1124; Griech. Mythol. p. 1028 — Maass, Orpheus, p 195[39]. — Vürtheim, De Euripidis Bacchis, p. 92. Ceterum cf. Usener, Milch und Honig, Rhein. Museum, 1902, p. 177—195 = Kleine Schriften, IV, p. 398—417 et A. Jeremias, Hölle und Paradies bei den Babyloniern, p. 72.

[8]) Parmenides orbem lacteum appellavit *γάλα οὐράνιον*; Stob. Eclog. c. 27 *γάλα* = *γαλαξίας κύκλος* (cf. Diels, Doxografi Graeci p. 364; Aristot. Meteor. I, 8, p. 346 huc non pertinet.)

[1]) D. recitat Euripidis versus, Bacch. 141 seq.:

ὁ δ' ἔξαρχος Βρόμιος εὐοῖ,
ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον. (cf. v. 706)

et Plat. Ion. p. 534A: *αἱ βάκχαι ἀρύτονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα.* (cf. Phaedr. p. 253 et Hor. carm. II, 19, 9.)

mellis et lactis fontes emergere; deinde pergit „unum accedit: erant qui putarent *γαλαξίαν* i. e. viam lacteam coelestem esse beatorum domicilium [1]). Unum promo locum, quo statim unde haec sumpserint edocemur. Porphyrius enim refert de antr. nymph. cap. 28: *δῆμος δὲ ὀνείρων κατὰ Πυθαγόραν αἱ ψυχαί, ἅς συνάγεσθαί φησιν εἰς τὸν γαλαξίαν τὸν οὕτω προσαγορευόμενον ἀπὸ τῶν γάλακτι τρεφομένων, ὅταν εἰς γένεσιν πέσωσιν. διὸ καὶ σπένδειν αὐταῖς τοὺς ψυχαγωγοὺς μέλι κεκραμένον γάλακτι ὡς ἂν δι' ἡδονῆς εἰς γένεσιν μεμελητηκυίαις ἔρχεσθαι, αἷς συγκυεῖσθαι τὸ γάλα πέφυκεν*". Ergo symbolum hunc in modum interpretatur: „lepidissime sane dicitur et haedulum nunc domum rediisse ad matris lactea ubera et Dionysi ministrum et mystam, nunc et ipsum deum, qui *ὑπὸ κόλπον ἔδυ Φερσεφονείας* adiisse ad beatae vitae prata lactea."

Reinach hanc interpretationem reiciendam esse censet, cum nulla in lamina quidquam legatur quod ex ista de animorum in coelum reditu sententia depromptum sit. Quamquam idem ingenue fatetur Dieterichi sententiam non omni ex parte improbabilem videri, sed nonnullis argumentis, quae sententiae auctorem fugerant, vel corroborari posse. Dieterichum enim praeteriisse Haedorum

---

[1]) D. nos relegat ad Cic. somn. Scip. c. 16; Manil. I, 786: „an fontes animae huc (in *γαλαξίαν*) migrant ex orbe"; Plac. gloss. Mai coll. Vat. III 481 „lacteus circulus quem alii dicunt animis heroum antiquorum refertum et merito resplendere." In Somnio Scipionis c. III legimus immortalitatem sideream non omnibus contingere sed iis tantum „qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in coelo definitum locum ubi beati aevo sempiterno fruantur." Cf. Cumontii commentatio de dogmate quod antiqui de animarum in coelum reditu constituerant, Die Or. Rel. im Röm. Heident. p. 293-295, p. 330-331).

sidera [1]), Arcti partem, in ipso lacteo orbe stare et Euripidem [2]) poetam ipso illo verbo ἐμπίπτειν εἰς usum esse ut animi in coelum volatum designaret. Sed, quamquam haec ita se habent, Reinach Dieterichi sententiam repudiavit: „Cette solution n'est pas admissible, et cela par la simple raison que rien, dans aucun des cinq textes Orphiques inscrits sur des lamelles d'or, ne fait allusion à la croyance de la migration des âmes vers le ciel." Reinachium Dietericho persuasisse apparet ex eo quod D. in libro c. t. „Eine Mithraslithurgie"

---

1) Vide Macrob. Comm. in Somnium Scipionis I, c. 12: „per has portas (scil. Capricornum et Cancrum) animae de coelo in terras meare et de terris in coelum remeare creduntur. Ideo hominum una, altera deorum vocatur: hominum Cancer, quia per hunc in inferiora descensus est, Capricornus deorum quia per illum animae in propriae immortalitatis sedem et in deorum numerum revertuntur. Et hoc est quod Homeri divina prudentia in antri Ithacesii descriptione significat. Hinc et Pythagoras putat a lacteo circulo deorsum incipere Ditis imperium, quia animae inde lapsae videntur iam a superis recessisse. Ideo primam nascentibus offerri ait lactis alimoniam, quia primus eis motus a lacteo incipit in corpora terrena labentibus. Unde et Scipioni de animis beatorum ostenso lacteo dictum est „hinc profecti huc revertuntur." Cf. Porph. de antr. nymph. locus, quem supra exscripsi, et c. 22: δύο οὖν ταύτας ἔθεντο πύλας καρκίνον καὶ αἰγόκερων οἱ θεολόγοι, Πλάτων δὲ δύο στόμια ἔφη· τούτων δὲ καρκίνον μὲν εἶναι δι' οὗ κατίασιν αἱ ψυχαί, αἰγόκερων δὲ δι' οὗ ἀνίασιν· ἀλλὰ καρκίνος μὲν βόρειος καὶ καταβατικός, αἰγόκερως δὲ νότιος καὶ ἀναβατικός· ἔστι δὲ τὰ μὲν βόρεια ψυχῶν εἰς γένεσιν κατιουσῶν, ... τὰ δὲ νότια οὐ θεῶν, ἀλλὰ τῶν εἰς θεοὺς ἀνιουσῶν.

2) Eur. Hel. v. 1016 seq:

....ὁ νοῦς
τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὐ γνώμην δ' ἔχει
ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

Notabilis est locutio ἐς τὸ σῶμα ἐμπεσεῖν, qua Schol. ad. Hesiod. Theog. v. 275 usus est, animi in nascendi conditionem venientis motum significans.

γαλαξίας iam non mentionem fecit sed aliam explanationem, eamque toto coelo diversam, proposuit. Eandem autem incudem, quam Dieterich olim, postea Alline tutudit, qui *γάλα* vertit „le Paradis de la Voie lactée". Primo enim observatum vult hoc, Athenienses inde a quinti saeculi parte altera credidisse [1]) animam post mortem in coelum redire et terram corpora recipere; deinde nos relegat ad Macrobii et Porphyrii locos quos supra rettuli, et ad Heraclidis Pontici locum, ubi lacteum orbem *ὁδὸν ψυχῶν τῶν ᾅδην τὸν ἐν οὐρανῷ διαπορευομένων* ab Empedotimo dictum esse [2]) legimus; postremo concludit: „En somme, d'après les mots *ἔριφος ἐς γάλα*, l'âme bienheureuse est devenue une divinité, elle s'est identifiée avec Dionysos et habite le Paradis de la Voie lactée. Ainsi concordent toutes les descriptions de la dernière étape, dans les diverses versions que nous présentent les tablettes d'or; sous des noms divers, c'est le même Paradis que le ›royaume des Héros‹ (lam. Petelina v. 11: *καὶ τότ' ἔπειτ' ἄλλοισι μεθ' ἡρώεσσι*

---

[1]) Alline nos relegat ad Dieterich. Mithraslit. p. 200, Nekyia p. 103 seq., Rohdium, Psyche II, p. 257, 258 et unum tantum exemplum affert, nempe titulum sepulcralem eorum qui Potidaeae occiderunt (C. I. A. I, 442):

Αἰθὴρ μὲν ψυχὰς ὑπεδέξατο, σώμα[τα δὲ χθὼν] | τῶνδε.

Sicilienses idem credidisse concludit ex Epicharmi fr. 23: mortui *ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' οὐρανόν* et fr. 35: *συνεκρίθη . . . καὶ διεκρίθη καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω· τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν* (cf. Dieterich, Nekyia p. 106 seq.). Alline praeterea confert Platonis locum (Politeia, X, 616, b, c.) ubi animi iam iam *εἰς γένεσιν* redituri *φῶς εὐθύ, οἷον κίονα, μάλιστα τῇ ἴριδι προσφερῆ . . . . ξύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ, οἷον τὰ ὑποζώματα τῶν τριήρων* videre dicuntur.

[2]) Philoponus, in Arist. Met. I, 218; cf. Iambl. apud Stobaeum, Ecl. phys. 41, 39.

ἀνάξεις), le »Séjour des Saints« (l. Th. II et III v. 7: ἕδραι εὐαγεόντων), les »Prairies sacreés et le bois de Perséphone« (l. Thur. IV v. 6 λειμῶνας ἱεροὺς κατά τ' ἄλσεα Φερσεφονείας), et la Voie lactée où boivent les chevreaux divins." Verbum autem ἐς... πίπτειν animae in coelum volatum significare contendit, propterea quod Euripides hoc sensu verbum εἰς... ἐμπίπτειν posuerit.

Quam Allinei disputationem si recognoscimus, concedendum quidem est antiquitus fuisse qui [1]) rem sibi ita informarent ut in stellas post mortem homines mutari crederent, sed negandum est Pythagoreos beatorum sedes in orbe lacteo collocavisse. Distinguendae enim sunt ἡ ὁδὸς τῶν ψυχῶν et αἱ ἕδραι τῶν εὐαγεόντων, et Delatte recte statuit secundum Pythagoreos orbem lacteum non sedem beatarum animarum sed viam et locum transitorium fuisse earum quae in nascendi conditionem venirent. Neque minus luculenter idem demonstravit Pythagoreos et Orphicos olim credidisse homines post mortem aeternae beatitudinis participes in Luna et Sole degere. [2]) Quas ob causas Delatte Allinei formulae

---

[1]) Delatte nos relegat ad Aristoph. Pac. v. 831, Platon. Tim. 42 P et confert Comm. Bern. Luc. p. 291: „Pythagoras dixit animas in stellas converti virorum fortium" et Mart. Cap. II, 125: „quaeque Platonis Pythagoraeque esse dedisti sidera mentis."

[2]) Delatte recitat Jambl, V. P., 52 (Ἀκούσματα Pythagorica):

τί ἐστιν αἱ μακάρων νῆσοι; — ἥλιος καὶ σελήνη,

et Pindari fr. 133 (cf. supra cap. IV § 2 A):

Οἷσι δὲ Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος
δέξεται, ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ Fέτεϊ
ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν κ. τ. λ.

(cf. Plut. gen. Socr. 22 et De facie in orbe lunae 28). Cf. Cumont, Die O. R. im R. H., p. 295.

interpretationem reiecit; cui libenter assentior. Reinachium enim secutus opinor *γάλα*, Bacchi donum optatissimum, a *γαλαξίᾳ*, et Dionysi eiusque mystae nomen q. e. *Ἔριφος* a sideribus quae *Ἔριφοι* dicuntur distinguendum esse.

B. *De eorum sententia qui locutionem ἐς ... πίπτειν ad literam accipiendam esse posuerunt.*

Reinach recte nos admonet varias interpretandi vias patere, prout locutio *ἐς ... πίπτειν* accipiatur. Cuius disputationem recensentes nunc facimus verbum *πίπτειν* ad literam accipiendum esse.

Sequitur ut lactis baptisma postremum *τῶν δρωμένων* fuerit, quocum mystarum Eleusiniorum *ἅλαδε ἔλασις* [1]) et sectae Thraciae c. n. *Βάπται* sacra haud inepte conferri possint. Quos Cotyti cultores Eupolis poeta ludibrio habuisse dicitur in comoedia ab ipsis *Βάπταις* nominata, „ob quam [2]) ab Alcibiade, quem imprimis perstrinxerat, necatus est."

Fabula autem erat Alcibiadem poetam in mare deiecisse et iniuriam sibi allatam sic ultum esse, ut poetam, quod Baptis exprobrasset, subire cogeret ipsum. Quam narrationem de poetae morte Eratosthenes [3]) quidem redarguit, sed utique constare videtur sectam Thraciam a baptismate in sacris exsequendo nomen habuisse.

Quam interpretationem, quamquam eo magis placere

---

1) Ephem. Arch. 1887, p. 177.
2) Schol. ad Juven. II, 92.
3) Cic. ad Atticum, 6, 1.

Reinach opinatur, quod Orphica Italiae inferioris sacra et Baptarum secta ex eadem regione oriunda esse videantur, [1]) tamen reiciendam esse censet, cum credi non possit Orpheotelestis sat lactis ubicumque terrarum suppeditasse in baptisma. „Car où donc les Orphéotélestes auraient-ils trouvé assez de lait pour en remplir des bassins dans lesquels auraient plongé les initiés? On nous parle, il est vrai, des Bacchantes qui puisent du miel et du lait dans les fleuves, des plaines où coulent le lait, le vin et le miel aux pieds de Dionysos qui se repose après la chasse. Mais si ces passages, et d'autres encore [2]) indiquent que le lait, comme le vin, etait la liqueur sacrée du thiase dionysiaque, ils ne nous autorisent pas à nous figurer quelque part un vrai fleuve, un vrai lac de lait où se serait accompli le baptême orphique." Quam ob causam R. in nostra formula de regenerationis baptismate sermonem esse negat.

Hanc autem difficultatem R. Pichon solvere ita conatus est ut solium non lacte repletum fuisse sed aquam nescioquo elemento mixtam lactis locum subiisse faciat; hunc in modum nos admonet Magnae Matris cultores vinum lac nuncupasse, et „vas, in quo vinum est, mellarium" nuncupatum esse [3]), et in mentem revocat

---

[1]) Adde quod Kotys dea, quam Baptae coluerunt, ἡ παρὰ Δωριεῦσι τιμωμένη Κοττώ (Schol. Theokr. 6, 40; cf. Rapp in Roscheri lexico s. v. Kotys) et Κοτυτὼ Δωρία θεός (ibid.) dicitur.

[2]) Vide locos quos supra exscripsi.

[3]) Macrob., Saturn. I, 12, 25: „quod vinum in templum eius non suo nomine soleat inferri sed vas in quo vinum inditum est mellarium nominetur et vinum lac nuncupetur."

„latices simulatos fontis Averni" a Didone Hecatae oblatos [1]), nec non Lucilii versum: [2])

„cretatumque bovem duc ad Capitolia magna."

Quibus substitutionis exemplis allatis concludit: „A défaut de lait véritable, une eau appelée de ce nom peut-être mélangée de quelque substance qui lui donnait l'aspect du lait, pouvait en tenir lieu. C'est dans ce liquide qu'était plongé le candidat à l'initiation; cette immersion achevait en lui l'effet purificateur des autres cérémonies; et en souvenir du baptême lacté, il pouvait dire hardiment en s'adressant aux dieux infernaux, non point par simple artifice de style, mais en prenant les mots dans tout leur force matérielle et rituelle ›Je suis tombé dans le lait‹."

Cui interpreti si astipulamur, faciendum est mystam Thurinum dicere se ex lactis baptismate renatum esse. Sic dicunt [3]) Heram Naupliae in fonte q. d. *Κάναθος κατὰ ἔτος λουμένην παρθένον γενέσθαι.*

---

1) Verg. Aen. IV, 512.

2) Juven. X, 65:

Pone domi laurus, duc in Capitolia magnum
cretatumque bovem, etc.

Schol. confert Lucilii versum: „cretatumque bovem duc ad Capitolia magna" (Diels, Poetarum Rom. vet. rel., fr. 552).

3) Pausanias II, 38, 2; deinde pergit: *οὗτος μὲν δὴ σφισιν ἐκ τελετῆς, ἣν ἄγουσι (οἱ Ἀργεῖοι) τῇ Ἥρᾳ, λόγος τῶν ἀπορρήτων ἐστίν.* Reinach Plinii quoque locum recitat de Poppaea (N. H. XI, 96) quae „quingentas secum per omnia trahens foetas (asinas) balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens." Quae narratio ei videtur esse „un témoignage antique qui atteste la croyance à la vertu rajeunissante des bains de lait," sed ex hoc loco, me iudice, tantum apparet Poppaeam credidisse asinarum lac ad pulchritudinem reddendam proficere.

Haec autem Reinachii hypothesis de baptismate mystico etiam aliis interpretibus valde placuit. Videmus enim Dieterichum ea, quae olim de *γαλαξίᾳ* commentus erat, missa fecisse et in libro c. t. „Eine Mithrasliturgie" mystas Thurinos et Mithriacos inter se contulisse hunc in modum: „wie hier den *ἔριφοι* durch die Milchtaufe die Wiedergeburt gegeben wurde, so den *λέοντες* des Mithrasdienstes durch die Honigsalbung".

C. *De sententiis eorum qui aliam vim et potestatem locutioni ἐς γάλα πίπτειν subesse coniecerunt.*

Idem autem interpres modo (l. l. p. 171) fecit *ἐρίφους* in lac submersos esse, modo (p. 172) posuit mystas lactis poculum bibisse. En eius argumentatio: In papyro magica Berolinensi [1]) formula legitur: „*καὶ λαβὼν τὸ γάλα σὺν τῷ [μέλι]τι ἀπόπιε πρὶν ἀνατολῆς ἡλίου, καὶ ἔσται τι ἔνθεον ἐν τῇ καρδίᾳ*". Mithrobarzanes, Zoroastri discipulus in Menippi *προδιαίτησιν* tres potiones *γάλα καὶ μελίκρατον καὶ τὸ τοῦ Χοάσπου ὕδωρ* adhibuisse dicitur; [2]) neophytis Christianis tria pocula, aquae, lactis, vini cum aqua commixti, bibenda fuerunt; ergo concludendum est in mysteriis quibusdam olim initiandos tria pocula bibisse. In lamina autem Petelina anima Mnenosynae aquam frigidam petit et in lam. Thurina quinta agitur de Cybeleiae Korae *νηστείᾳ*; atqui veri simile est hominem post *νηστείαν* bibisse *κυκεῶνα*; ergo statuendum est mystas Italiae inferioris tres deinceps potiones bibisse, nempe

---

1) Abhandl. d. Berl. Akad. 1865 p. 120, 20.

2) Lucian, Nekyiom. c. VI.

κυκεῶνα, γάλα (einen Milchtrank oder ein Milchbad) Μνημοσύνης ὕδωρ.

Quae argumentatio[1]) prorsus reicienda esse videtur; neque enim κυκεων aureis in laminis nominatur[2]), neque eundem hominem et Mnemosynae aquam petivisse et „in lac cecidisse" ex laminis effici potest. Videmus enim alium (hominem Petelinum) Mnemosynae munus flagitasse, alios (mystas Thurinos) Proserpinae ὑπὸ κόλπον δῦναι eo consilio ut dei fierent. Sequitur ut mystae tria deinceps pocula non biberint. Ergo huc non pertinet symbolum[3]): τρίτου κρατῆρος ἐγεύσω.

Quod cum in confesso sit, rogatur iam unane saltem potio adhibita fuerit; meminimus enim aliis in mysteriis morem fuisse ut initiandi aliquid ederent et biberent[4])

---

[1]) Mithraslit. p. 171/72: „Wir dürfen eine Vorschrift wie die des Berliner Zauberbuches... so beurteilen, dass hier die liturgische Anweisung eines grossen Kultus heruntersinkt... Wenn wir, wie wir dürfen und müssen, die Inschriften der unteritalischen Gräber der Mysten eines Glaubens zusammennehmen zur Rekonstruktion ihres Rituals, so gewinnen wir, wie ich meine, mit voller Sicherkeit, einen Trank des κυκεών, einen Milchtrank oder etwa ein Milchbad, und endlich den Trank des Wassers der Erinnerung.... Gerade so wird noch in der Zauberaktion, die bei Lukian der Schüler des Zoroaster, M. vornimmt, etc.... Mann muss aber auch unwillkürlich an die drei Becher denken, die dem neugeweihten Christen gereicht werden (Didascalia Apostol. p. 111 ed. Hauler)."

[2]) In laminis κυκεών non nominatur; de mystarum ieiunia vide infra cap. VI § 1 B.

[3]) Apostolius 17, 28, t. II p. 692 paroem. Gott. τρίτου... ἐγεύσω, ἐπὶ τῶν μεμυημένων τὰ τελεώτατα καὶ σωτηριωδέστερα.

[4]) Clem. Alex. Protr. II, 18: ἔστι τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων „Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον...." Cf. Arnob. adv. nat. V, 26: „ieiunavi atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi etc."

Quod apparet ex Attidis Magnaeque Matris mystarum propriis signis et responsis [1]).

Eodem autem anno quo Dieterich commenta sua de tribus poculis in lucem edidit, Harrison de formula mystica egit. Quae nonnulla testimonia ad Christianorum baptismatis et communionis ritus pertinentia composuit, quae testantur multa per traditionem in ecclesiis observata esse et auctoritatem sibi scriptae legis usurpasse „velut in lavacro ter caput mergitare deinde egresso lactis et mellis concordiam praegustare [2])", sed ingenue fassa est se nescire utrum mysta Thurinus significare voluerit se re vera in lac submersum esse, an per metaphoram dixerit se lactis poculum bibisse. „Did the neophyte actually fall into a bath of milk,... or is the ritual act of drinking milk from the beginning metaphorically described?" rogat H. et hanc quaestionem solvi non posse enuntiat hunc in modum: "The question unhappily cannot with certainty be decided. The words 'I fell into milk' are not even exactly what we should expect if a rite of Baptism were described."

Eadem autem admonuit locutionem *ἐς γάλα πίπτειν*

---

[1]) De Attidis Magnaeque Matris sacris vide Firm. Mat. de err. prof. rel. XVIII: „de tympano manducavi, de cymbalo bibi et religionis secreta perdidici" quod graeco sermone dicitur „*ἐκ τυμπάνου βέβρωκα. ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μύστης Ἄττεως.*" — Clem. Alex. Protr. II, 15: *ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον.*

[2]) Hieron., Altercat. Lucif. et Orthod. c. 8, 11 p. 180 e: „nam et multa alia quae per traditionem in ecclesiis observantur auctoritatem sibi scriptae legis usurpaverunt velut" etc.; Tertull. de corona milit., 3: „dehinc ter mergitamur ... unde suscepti lactis et mellis concordiam praegustamus." Ceterum cf. Useneri commentatio.

haud inepte conferri posse cum vocabulis *εἰς γένεσιν πίπτειν* quibus Porphyrius usus est de hominibus in nascendi conditionem venientibus. Quarum duarum locutionum analogiam Delatte agnoscens et adnotans Pythagoreos credidisse animas lactis desiderio in terram descendere, eo pervenit ut contenderet[1]) in lingua sacra „*εἰς γάλα πίπτειν*" positum esse pro „*εἰς γένεσιν πίπτειν*" et nihil nisi „nasci" significare.

Secundum hunc interpretem anima deae, quae dixit[2]) *θεὸς ἐγένου ἐξ ανθρώπου*, respondet apotheosin nihil nisi munus sibi debitum esse, propterea quod, cum nasceretur, *ἔριφος* esset, neque nostra formula ab huius carminis versu 3 *καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν* discrepat; quam opinionem hisce fere complectitur: „Ce mot de passe n'est donc qu' une variante des autres proclamations de l'âme qui se présente devant les gardiens de la source: *αὐτὰρ ἐμοὶ γένος οὐράνιον, τόδε δ' ἴστε καὶ αὐτοί* (lam. Pet. v. 7) et devant les dieux de l'Elysée *καὶ γὰρ ἐγὼν κ. τ. λ.* . . . Dans notre formule, à la promesse divine: *Θεὸς ἐγένου ἐξ ἀνθρώπου* l'âme répond qu' elle avait droit à être reçue dans le choeur des divinités parce que si elle est tombée à la génération (*ἐς γάλ' ἔπετον* correspond

---

[1]) Delatte scripsit: „Comme d'après la théorie orphico-pythagoricienne, c'est le désir du lait qui cause la chûte des âmes (Porph. Antr. Nymph. 28 vide supra, Proclus *τῶν πεσουσῶν εἰς γένεσιν εἶναι γάλα τὴν πρώτην τροφήν*, Macrobius, in Somn. Sc. I, 12), on conçoit que dans la langue réligieuse, qui est volontiers imagée, *πίπτειν εἰς γάλα*, tomber vers le lait, pour boire le lait, ait pu être employé comme une variante de *πίπτειν εἰς γένεσιν.*"

[2]) Delatte prave citat affirmationem quam hierophanta in lam. Thur. IV enuntiat; legas deae promissionem (la promesse divine): *θεὸς δ' ἔσῃ ἀντὶ βροτοῖο.*

à *ποινὰν δ' ἀνταπέτεισα ἔργων ἕνεκ' οὔτι δικαίων*), elle était cependant de la race de Dionysos."

Nos autem non nescii sumus *πίπτειν εἰς γένεσιν* fere idem significare atque *ἰέναι εἰς γένεσιν* = nasci [1]) sed neque credere possumus eodem sensu Graecos *ἐς γάλα πίπτειν* dixisse, neque opinamur animum dicere se *ἔριφον* fuisse cum primum nasceretur, sed e carminis contextu hoc unum certe apparere arbitramur animum tunc demum *ἔριφον* exiisse, cum ex Proserpina esset renatus. Delattei igitur interpretationem missam facimus et revertimur ad quaestionem, unane saltem potio in mysteriis Thurinis adhibita fuerit. Quam quaestionem absolventibus Harrisoniae et Dieterichi commenta nobis paulum prodesse videntur: quam ob causam ad Reinachii egregriam disputationem redire volumus. Qui quamquam concedit fieri potuisse ut initiandus lactis poculum biberet aut lacte aspergeretur, quo melius metamorphosis notaretur, tamen stulti esse iudicat aliquid huiusce modi conicere, cum nullus laminae textus quidquam tale exhibeat et, si re vera hoc in ritibus Orphicis fuisset, procul dubio mysta aoristo *ἔπιον* usus esset. Idem autem qui locutionem *ἐς γάλα πίπτειν* neque ad literam vertendam, neque metaphorice pro *γάλα πίνειν* positam esse iudicat, statuit verbum *ἐμπίπτειν* significare „incidere in" (= tomber sur, rencontrer, découvrir), mystam autem dicere se incidisse in lac, utpote alimentum insignissimum [2]) novae *ἐρίφου*

[1]) Porphyrius usus est hisce locutionibus: de antro Nymph. 14, *ψυχαῖς εἰς γένεσιν κατιούσαις*; 18, *ψ. εἰς γένεσιν ἰοῦσαι*; 19, *ψ. εἰς γένεσιν ἰούσας*; 22, *ψ. εἰς γένεσιν κατιουσῶν*; 23, *εἰς τὴν γένεσιν ἀπερχόμενοι*; 25. *ψ. εἰς γένεσιν ἰούσαις* (bis); 26, *ψ. εἰς γένεσιν ἐρχομόνων*; 28, *ψ. πεσουσῶν εἰς γένεσιν.*

[2]) Maass, Orpheus, 11., Pauli Epistolam ad Cor. I, 3, 1 confert.

vitae et formulam Thurinam, quam credit omnino congruere cum Sabaziorum symboli parte altera [1]) — *εὗρον ἄμεινον* — hac paraphrasi vertit: „Le myste se félicite seulement d'avoir trouvé du lait, peutêtre même un ruisseau de lait [lactis uberes rivos (Hor. Od. II, 19, 10)] c'est-à-dire de quoi le nourrir dans la vie nouvelle de chevreau qui commence pour lui." Cui interpreti Diels astipulatus est qui nihil nisi hoc ad formulam adnotavit: „Das heisst vermutlich ›als geweihter Dionysosdiener gelangte ich in das Land, wo Milch und Honig fliesst.‹"

Postremo ad Comparettii commenta venimus qui formulam hunc in modum interpretatur [2]): „*Ἔριφος* è qui simbolo di innocenza e purezza, come agnus per gli antichi cristiani, qualità questa che distingue essenzialmente l'iniziato, ed è messa in piena evidenza in altre laminette che cominciano con *ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά.*" Huic interpreti in mentem revocamus Clementis Alexandrini locum [3]), ubi maenades, Semelae sorores, et *ἀμνάδες*, Dei filiae, inter se opponuntur, et relegamus ad Matthaei testimonium, secundum quem Pastor divinus *ἀφορίζει τά πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων.* [4]) Num credi potest eximiam innocentiam et castitatem haedi nomine significatam esse?

D. *Scriptoris sententia.*

Variorum interpretum sententias recensentes videmus

[1]) Sabazio initiati dicere iubebantur: *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον* (Demosth., de cor. § 259; cf. Vürtheim l.l. p. 87 et Dieterich, Eine Mithrasl. p. 215).

[2]) Comparetti l.l. laudat Olivierium, qui (l.l. p. 43 seq.) „pensa per *ἔριφος* al Dionysos infante e pel *γάλα* alla innocenza dell' anima pura."

[3]) Clem. Alex., Prot. XII, 119.

[4]) Matth. c. XXIV, § 32.

alios esse qui putent formula nostra ritum quendam significari, quem exsecutus initiandus *ἔριφος* factus sit, alios esse qui iudicent mystam his vocabulis gaudium suum enuntiare quod deus factus sit.

Primum ad calculos nunc vocamus eos qui formulam ad ritum quendam rettulerunt. Cum luce clarius sit aliud esse „lac bibere" aliud „in lac cadere", eorum commenta reicimus qui mystam lactis poculi *γευσάμενον* fecerunt. Ergo venimus ad eos qui coniecerunt initiandum in solium sive lacte sive liquore quodam substituto, quod lac nuncuparetur, repletum submersum esse. Recte autem Harrison observavisse videtur locutioni *ἐς γάλα ἔπετον* non inesse ipsam lactis baptismatis vim. Quam actionem exspectes alia oratione expressam esse, e. g. *ἐβάφην εἰς γάλα* [1]). Verba enim tradita, si ad literam accipienda sunt, significare videntur mystam urinatori similem in piscinam se proiecisse. [2]) Sed etiam aliud occurrit: quid mystae, Proserpinae filio, regenerationis balneo opus est? Quod ex deae gremio velut ipse Dionysus in lucem editus est, hoc nisi fallor omnium caerimoniarum summum fuit; quo ritu exsequendo deus factus est. Num deum purgatrice aqua expiandum fuisse censes? Quo hoc unum accedit, quod varii deinceps ritus ordine enumerati in versuum fere omnibus numeris absolutorum formam redacti sunt. Ex eo quod post caerimoniarum seriem

---

1) Cf. Plut. de Superst., 3: *εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἀνθρώπους ἐμπεσόντες* (homines iubentur) *τὴν περιμάκτριαν κάλει γραῦν, καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν.*

2) Recte Reinach: „S'il s'agit d'un bain de lait au sens propre, il faut, pour justifier le mot *ἔπετον*, que l'initié n'y soit pas entré, mais y soit tombé, comme le plongeur dont il est question dans l'Odyssée: „*ἀρνευτῆρι ἐοικὼς κάππεσε*" (Od. XII, 413).

haec formula addita est, iam sequitur mystam „in lac cecidisse" non ut deus fieret, sed tunc demum cum deus factus esset. Exspectamus enim post versus caerimonias describentes et divinum promissum mystam hunc catalogum metro invito non continuasse, sed suam responsionem, a dea elicitam, pronuntiavisse. Quas ob causas concludimus formulam hanc non referendam esse ad ritum quem exsecutus mysta ex homine fieret deus.

Iam de aliorum interpretum sententiis iudicium faciendum est. Supra autem adnotavi Dionysi eiusque mystae nomen q. e. ἔριφος a sideribus quae dicuntur ἔριφοι distinguendum esse, neque lactis donum divinum adaequandum esse orbi lacteo, quem vulgo γαλαξίαν, semel vel bis γάλα antiqui nuncupaverunt. Fuisse quidem doctrina quaedam Pythagoreorum videtur, secundum quos animae a γαλαξίᾳ profectae in eundem circulum lacteum redierint post mortem; sed ei, qui ad nostros thiasotas hanc doctrinam referunt, videntur non intellexisse mystam adhuc in terra viventem dixisse „se in lac cedidisse."[1] Restat igitur una Reinachii interpretatio, cuius disputatio huc redit ut εἰς γάλα πίπτειν nihil significet nisi γάλα εὑρίσκειν. Quae sententia mihi ad veritatis similitudinem propius accedere videtur. Sed ad perpendiculum exigere volumus quae vir doctus de locutione ἐμπίπτειν disputavit; en ipsissima verba: „Après avoir passé en revue un grand nombre

---

[1] Supra, cap. II, § 3, demonstrare conatus sum mystas nostros credidisse Hermem animas καθαράς ad Iovis Summi Eubouleique coelestem regiam prosequi. Ergo quae de vitae post mortem continuatione cogitaverunt a Pythagoreorum sententia, qui beatorum sedes in luna et sole collocaverunt, non ita multum differunt. Sed nostram formulam prorsus aliud significare luce clarius est.

d'exemples d' *ἐμπίπτειν*, employé au sens réel, je me suis convaincu que ce verbe, comme le latin »incidere in« peut signifier »trouver« sans réveiller l'idée accessoire d'un plongeon ou d'une chûte. Il y a là une question de sémantique plus encore qu' une question de langue; ne disons-nous pas nous-mêmes, en français, que nous sommes tombés sur une idée nouvelle, pour dire que nous l'avons rencontrée ou découverte?".

Dolemus quod vir doctus nullum exemplum exhibuit ex illo catologo quem perlustravit. Quam ob causam nonnullas de verbi *πίπτειν* vi atque potestate observationes praemittere volo.

I. Sicut gallice „tomber sur une idée" graece dicitur *εἰς ἔρωτα, ἔρον, ἐλπίδα πίπτειν*[1]) (cf. britannice: to fall in); cui locutioni respondet *ἐκπίπτειν δογμάτων, ἐκ τῆς δόξης, ἀπὸ τῶν ἐλπίδων*[2]).

II. *πίπτειν εἰς γένεσιν* fere idem significat ac *ἰέναι εἰς γένεσιν*[3]) et *πίπτω εἰς ἔρον* idem ac *ἔρχομαι εἰς ἔρον*.[4])

III. *πίπτειν* dicitur is qui in rem desideratam se proripit:

---

[1]) Eurip. Iphig. Taur. 1172: *εἰς ἔρον .... πεπτώκαμεν.*
„ Androm. fr. 140 (Dindorf): *εἰς ἔρωτα πίπτουσιν.*
Philemon, fr. 49 ed. Dübner: *εἰς ἐλπίδα ἐνέπεσον.*
Eurip. Bacch. 812: *εἰς ἔρωτα πέπτωκας.* Cf. Scholiasta ad Apoll. Rhod. Argon. I v. 541 (Aethalides canitur cuius animam post mortem non *ἐπεδέδρομε Λήθη*): *εἰς Λήθην οὐκ ἔπεσεν.* Ceterum cf. Empedocl. fr. (Diels, Fr. d. Vors. p. 274): .... *πειθοῦς ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.*

[2]) *ἐκπίπτειν δογμάτων* Clem. Alex. Strom. V; *ἐ. ἐκ τῆς δόξης* Isocr. 5, 64; *ἐ. ἀπὸ τῶν ἐλπίδων* Thuc. 8, 81.

[3]) Vide supra, C. (p. 132[1]).

[4]) Eurip. Ion., v. 1227: *παίδων ... ἐλθοῦσ' εἰς ἔρον.*

Aristophanes verbum [1]) eo sensu posuit, Thesmoph. v. 1122:

τί δ' οὐκ ἐᾷς λύσαντά μ' αὐτὴν ὦ Σκύθα
πεσεῖν εἰς εὐνὴν καὶ γαμήλιον λέχος;

et Euripides, Ion. v. 652:

Θῦσαι .... θέλω ....
κοινῆς τραπέζης δαῖτα πρὸς κοίνην πεσών·

Mysta igitur dicit se non invenisse lac, sed se proripuisse in Bacchi donum optatissimum. [1])

Et procul dubio *ὁ δ' ἡδονῇ δοὺς ἔς τε Βακχεῖον πεσών* [2]) ita bacchatus est ut *ἔριφος* rivos illos inveniret quos Euripides *γάλακτος ἑσμούς* dixit. Nam, sicut Plato scripsit, Bacchae ex amnibus mel et lac hauriunt *κατεχόμεναι, ἔμφρονες δ' οὖσαι οὔ·* Quem locum vulgo quidem ita interpretantur ut contendant [3]) illud „lac e rivis haurire" non in usu fuisse, sed Bacchos Romanos Livius narrat [4]) „viros velut mente capta cum iactatione fanatica corporis vaticinari, matronas Baccharum habitu crinibus sparsis

---

[1]) Cf. Aristoph. Vespae, v. 120: pater quem filius | *ἐκορυβάντιζε ... αὐτῷ τυμπάνῳ* | *ᾄξας ἐδίκαζεν εἰς τὸ Καινὸν ἐμπεσών* | *ὅτε δῆτα ταύταις ταῖς τελεταῖς οὐκ ὠφέλει κ. τ. λ.*; Lysistrata, v. 309: Coryphaeus admonet: *τῆς ἀμπέλου δ' εἰς τὴν χύτραν τὸν φανὸν ἐγκαθέντες* | *ἅψαντες, εἶτ' εἰς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσοιμεν.* Aristophani mystarum lingua non ignota fuit!

[2]) Euripidis est versus (Phoen. 21).

[3]) Plato, Ion. p. 534, a.; Aristides r. 45, t. II p. 23 D.: *αἱ βάκχαι ἐπειδὰν ἔνθεοι γένωνται ... μέλι καὶ γάλα ἀρύτονται.* De Platonis loco Rapp (Die Mänade im Gr. Kultus, Rhein. Museum, 1872, p. 22) scripsit: „niemand wird es einfallen eine Beziehung auf wirkliche Culthandlungen darin zu suchen."

[4]) Livius l.l. c. 13 § 12.

cum ardentibus facibus[1]) decurrere ad Tiberim, demissasque in aquam faces, quia vivum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre." Qua ex narratione nunc hoc tenemus, Bacchas ad Tiberim cucurrisse. Quid quod Cassius Hemina[2]) scripsit „Ex Tiberi lacte haurire". Quae verba aut omni sensu carere mihi videntur aut ita accipienda esse ut historicus Bacchas ex Tiberi lacte haurientes fecerit in libro IIII Annalium; quo constat eum historiam eius temporis scripsisse, quo Bacchanalia Romae celebrata sunt. Quam ad actionem bacchabundam nescio an etiam Juvenalis[3]) alluserit, a quo inter mira annumeratur: . . . amnis, gurgitibus miris et lactis vertice torrens.

Cum constet matronas Romae ad Tiberim decurrisse, faces in aquam demisisse, ad imitationem Argivarum quae usque ad Pausaniae tempus[4]) faces ardentes

---

[1]) Cf. Varro, apud Non. p. 112: „Confluit mulierum tota Roma, quae noctu initia fieri solita etiam nunc pinea fax indicat."

[2]) Non. s. v. lacte p. 483 (= Peter, Fr. H. R. 36): „Hemina annalium lib. IIII: Ex Tiberi lacte haurire." Cassius Hemina libro IIII quod titulo „Bellum Punicum Posterior" inscripsisse dicitur (Peter, fr. 31) historiam saeculi II ineuntis scripsit (fr. 32 est anni 216 a Chr., fr. 37 est anni 181 a. Chr.) quo tempore Bacchanalia Romae celebrata sunt (Livii narratio et senatus consultum de B. sunt anni 186).

[3]) Juvenal. XIII, 64: egregium sanctumque virum si cerno, bimembri / hoc monstrum puero . . . comparo . . . sollicitus . . . tamquam in mare fluxerit amnis etc.

[4]) Livius l. 39, c. 13 § 12 Hispalam facit narrantem: „matronas Baccharum habitu crinibus sparsis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim demissasque in aquam faces, quia vivum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre". De Argivarum ritu Pausanias scripsit l. II, c. 22 § 3: *ἀφιᾶσι δὲ καὶ νῦν ἔτι ἐς τον βόθρον καιομένας λαμπάδας Κόρῃ τῇ Δήμητρος*. Feminas fuisse P. non scripsit, equidem

Κόρῃ τῇ Δήμητρος ἀφιέναι solebant, lac ex amne hausisse, nonne veri simile est mystas quoque Graeciae maioris lac ex rivis hausisse?

Si recte Heminae fragmentum interpretatus sum, haec formula *ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον* non iam obscura est. Mystae, qui *Δεσποίνας ὑπὸ κόλπον ἔδυ*, divina mater promisit fore ut deus esset, et mysta respondit „nunc deum in pectore

---

conieci; cf. c. 20 § 4 et c. 22 § 1; Nicostratum autem *ἄνδρα ἐπιχώριον τὰ δρώμενα καταστήσασθαι λέγουσιν.* Hitzig et Blümer (in comment. ad Pausaniae locum) conferunt Phleg. Mir. fr. 39: *λαμπρὸν φάος αἴθε φερόντων / Σεμνοτάτῃ Δήμητρι.* Diels adnotat ad hunc versum (Sibyll. Blätt., p. 47): „Nicht erwähnt wird in der Annalistik die Fackelspende zu Ehren der Demeter v. 20 *λαμπρὸν φάος αἴθε φερόντων*, offenbar weil diese Gabe zu unbedeutend erschien". Frazer ad Pausaniae locum adnotat: „On Easter Saturday young people in Albania march with lighted torches trough the village. Then they throw the lighted torches into the river crying »Hah Kore! we throw you into the river, like these torches, that you may return no more!" (cf. Hahn Albanesische Studien, I, p. 160). The coincidence in name between the Albanian *Kore* and the Greek *Kore* (the Maiden, i. e. Proserpine) may be merely accidental.... In England it seems to have been an old custom to carry lighted torches at a funeral and extinguish them in the earth with which the corpse was about to be covered (Burne and Jackson, Shopshire Folklore, p. 310)."

Idem Romanorum morem confert, qui cum terminos disponerent „in fossis — sacrificio facibus ardentibus iniectis sanguinem instillabant" (Lobeck, Aglaoph. p. 981). Frazer, Hitzig, Blümer, Diels Livii locum silentio praetermiserunt. Recte Diels, l.l. p. 48: „in den Lustrationen wie im Totendienste ist von jeher Fackel-, Lampen- und Kerzenschimmer herkümmlich". [Zosimus tria enumerat *καθάρσια* (Diels l.l. p. 132) quae sunt *δᾷδες καὶ θεῖον καὶ ἄσφαλτον*]. Ceterum cf. ecclesiasticus ritus, quem sacerdotes Sabbatho Sancto adhuc exsequi soliti cereum ardentem in aquam ter submittunt (ritum fuse descripsit Usener, Heilige Handlung, Archiv f. Religionsgesch. VII, 1904, p. 294-296 = Kleine Schriften IV, p. 432-435) ut spiritus divinus aquae substantiam regenerandi fecundet effectu.

habeo, a Dionyso *κατέχομαι* et me proripio bacchabundus in dona dionysiaca." Formula igitur non ad caerimonias referenda est, quibus exsequendis initiandus *ἔριφος* exiit, sed *ἐρίφων* orgia bacchabunda designat, quibus suum nomen iam reddo: *ἐριφιήματα* nuncupata sunt a Laconibus. (Credibile est a Bacchis etiam *ἔριφον* mactatum esse. Sed hoc cum minus certum sit, missum facio; vide supra cap. II § 4 et infra cap. VI) Quid mystica Bacchorum formula Thurina significet iam apparet: mysta dixit „E Proserpina renatus me proripui in prata lucosque quae lacte affluunt." Ad literam vertendum est „Eriphus ad lac me proripui".

Scimus non Graecos Italosque solum sed Christianos etiam credidisse deum „mellis et lactis societate suos infantare."[1]) Bacchi autem Thurini et Romani de melle nullam fecerunt mentionem, solum lac in laminis et apud Heminam nuncupatur. Quidnam illud lac fuit?

Bacchae faces in aquam demiserunt, integra flamma extulerunt. Quo modo fieri potuit ut aqua facibus non

---

[1]) Cf. Tertullianus, adv. Marcion. I, 14 et Useneri commentatio de lacte et melle. Aegyptii quoque lacti vim mirificam tribuerunt (cf. Harrison, Prol. p. 597). Notatu autem dignum est Babylonios credidisse deum q. e. Ea non solum aquam exorcizantem (Wasser der Beschwörung) sed etiam lac et mel mortuis dare. Vide carmen Babylonium, quod Jeremias vertit l.l.:

„Er nahm dich weg an den Ort der Reinigung,
an den Ort der Reinigung nahm er dich,
zu (?) Honig und Milch nahm er dich,
Wasser der Beschwörung that er dir in den Mund,
deinen Mund öffnete er mittels Beschwörungskunst:
»Wie der Himmel sei hell, wie die Erde sei rein,
wie das Innere des Himmels glänze.«"

noceret? „Vivum sulphur cum calce"[1] inerat. At quaedam calcis et sulphuris mixtura est, qua imbuta res noctu lucem fundit; quae cum in humorem quendam acidum demittitur, humor lacteo colore induitur: inde nomen habet apud nostrates „zwavelmelk". Bacchae autem Romanae non alienae erant a fraude magica et tantum non constat mysticum lac fuisse liquorem sulphure turbatum; quam ob causam conicio aut faces Bacchicas sulphuris et calcis mixtura ita esse praeparatas ut, cum in aquam demitterentur, ignis semina in cavo[2] νάρθηκι abscondita non interirent, aut facis partem oleo imbutam esse ita ut neque aqua neque aer flammae noceret. Qui magicae artis experti sunt, hanc quaestionem solvant; ut ut res se habet[3], Bacchae Italae ad imitationem Graecarum hunc ritum exsecutae sunt, ut appareret cum Dionyso infanti tum Proserpinae liberis ipsam terram *συμβακχεύειν* et dare lac *οἷον ἀπὸ μαζῶν ἕλκειν*[4]).

[1]) Livius l.l. c. 13 § 13. Cf. Plin. 35, 174 seq.: „in Italia quoque invenitur (sulphur)... genera quattuor, vivum quod Graeci apyron vocant, nascitur solidum; cetera enim liquore constant et conficiuntur oleo incocta; vivum effoditur tralucetque et viret." Ceterum cf. „Sulphurea Nar albus aqua" (Verg. Aen. VII, 517).

[2]) Cf. Aesch. Prom. v. 109: *ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς πηγήν* — Eurip. Bakch. v. 147: *ἐκ νάρθηκος ἀίσσει* — Ion v. 1125: *πῦρ πηδᾷ θεοῦ Βακχεῖον* (cf. v. 717). Narthex habet „fungosam intus medullam ut sambuci" (Plin. N. H. 13, 22, 42); cf. L. A. J. Burgersdijk, ad Aeschyli l.l.: „het merg is sponsachtig, vat, als het droog is, gemakkelijk vuur door een vonk en wordt nog tegenwoordig op Sicilië door het landvolk als tonder gebezigd."

[3]) Cum viro quodam clarissimo collocutus sum, qui mihi promisit se in rem accuratius inquisiturum esse; cuius experimenta spero fore ut hvpothesin meam probent.

[4]) Philostr. imag. 1, 14 p. 30, 23 (cf. Usener, l.l. p. 398).

CAPUT VI.

Carminis supplicis et mystici comparatio ad finem perducitur.

Supra [1]) de laminarum discrepantia et similitudine egimus et demonstravimus quidem omnes Thurinos eorundem mysteriorum participes fuisse, sed quaestionem solvere non potuimus, qui factum sit ut unus mortuus quasi victor mortis limen transgredi videatur, alter supplex Proserpinam adeat. Observavimus hanc discrepantiam neque variis temporibus deberi (eiusdem enim fere temporis carmina sunt) neque varias mortuorum spes variis nascendi conditionibus respondere (omnes enim ad vitae terrestris finem se venisse crediderunt) neque varia carmina ad homines varias sectas secutos referenda esse.

Iam vero, cum omnia nobis praesto sint quae e diligenti carminum interpretatione concludi possunt, denuo hoc aenigma solvere conari et carminum comparationem ad finem perducere volumus, ut ea quae in re dispersa esse videantur ratione et distributione sub uno aspectu ponantur.

---

[1]) Vide cap. III.

§ 1. A. *De binis initiorum gradibus.*

Nunc hoc rogatum velim, cur mortui, quorum in sepulcris carmen supplex inventum est, in Dionysi dona optatissima se non proripuerint. Cum constet his quoque ad Dionysi *Ἐρίφου* mysteria aditum datum esse, videntur donis divinis carere propterea quod non *ἔριφοι* facti sunt. Sequitur ut *μυστηρίων μετουσία* quidem eis permissa sit, sed non per omnes teletas ierint. Mysta qui *Δεσποίνας ὑπὸ κόλπον ἔδυ* in telesterio deus ex homine factus est. At eos, quorum in manibus carmen supplex inventum est, neque coronam desideratam transgressos esse, neque e Proserpina renatos esse apparet ex harum caerimoniarum reticentia. Ergo lactis uberes rivos, quibus Dionysus eos donat quos *κατέχει* non reppererunt. Si licet verbum sumere e mystarum Eleusiniorum lingua sacra, *ἐποπτεύοντες* hi tantum sunt, qui e Proserpina renati ad lac se proripuerunt. Alii autem non *ἐπόπται*, sed neophytis similiores sunt.[1]) Hi neophyti mortem quidem mysticam subiisse sed non per regenerationem ad *ἀποθέωσιν* venisse videntur. Hanc ob causam supplices Proserpinam adeunt:

ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας εἰς εὐαγεόντων

atque a Jove Fulgure abreptos se dicunt hunc in modum:

εἶτ' ἐμὲ Μοῖρ' ἐδάμασσε σὺν ἀστεροπῆτι Κεραυνῷ.

Qui versus omnino respondet illi quem in carmine mystico legimus:

ἀλλά με Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροπῆτα Κεραυνῶν.

Concludo igitur mystas quorum in sepulcris carmen supplex inventum est „raptos a Moira et Jove Fulgure"

---

[1]) Cf. *νεομύσται* H. Orph. 43, 10 et *νεοφάνται* 4,9.

fuisse. Livium secuti eos „raptos a diis" nominare possumus.[1]) Cum mortem mysticam subirent, se esse ἐν Ταρτάρῳ (vide supra p. 114) crediderunt et fortasse a synthiasotis Ἄιδου Βάκχοι dicti sunt.[2])

Is autem cuius in sepulcro carmen mysticum inventum est, plus quam „raptus a diis", ἔριφος fuit. Huic graduum diversitati carminum discrepantia[3]) debetur: carmen supplex est mystae, qui „raptus a diis", carmen mysticum est epoptae, qui ἔριφος in lingua mystica nuncupabatur.

B. *De versu quarto carminis supplicis.*

Postremo paulisper subsistendum est in versu 4 carminis supplicis. Mysta dicit:

ποινὰν δ' αὖτ' ἀπέτεισ' ἔργων ἕνεκ' οὔτι δικαίων.

---

[1]) Cf. Eurip. Hippol. v. 550 (τὰν Ἄιδος ὥστε Βάκχαν), Hecub. v. 1176 (Βάκχαις Ἅιδου), Herc. v. 1119-1122: Amphitruoni dicenti

εἰ μηκέθ' Ἅιδου Βάκχος εἶ φράσαιμεν ἄν,

Hercules respondet:

οὐ γάρ τι βακχεύσας γε μέμνημαι φρένας.

Cf. v. 613: τὰ μυστῶν δ' ὄργι' ηὐτύχησ' ἰδών.

Suspicio oritur Euripidi domini Orcini Dionysique cultum non ignotum fuisse et nomen q. e. Ἅιδου Βάκχος non solum hominem, qui Bacchico furore abreptus caedes facit, sed etiam initiandum mortem mysticam perpessum significare. Ceterum cf. „Bromio signatae mystides" quibus „Naides canistiferae" opponuntur in epigrammate Macedonico (C. I. L. III 686, v. 17).

[2]) An eos ᾀδοφοίτας dictos esse censes? (vide Aristoph. fr. 149, 150 Kock, Athen. XII, 551, b et cf. Maass, Orpheus, p. 177[3].)

[3]) Hierophanta qui Proserpinae partes egit Thurina dialecto usus est, quam ob causam carmen mysticum hac dialecto compositum est et in lamina Thurina IV nonnullae formae dialecticae scriptae sunt. Huc sermonis varietas referenda est. Vide supra cap. III § 3 C.

Quem versum complures interpretes [1]) ita explanaverunt, ut sumerent terrestrem vitam poenam esse *παλαιοῦ πένθεος* [2]) Quam doctrinam Orphicam nonnulli Italiae inferioris thiasotae fortasse secuti sunt; nam sicut homines *οἷσι ποινὰν παλαιοῦ πένθεος δέξεται* [3]) Proserpina, in beatorum paradiso vivere dicuntur (quem Pythagorei antiquitus in sole et luna collocaverunt) et *ἥρωες ἁγνοί* nuncupabantur, ita sodalibus Petelinis aqua frigida bibenda erat ut iis obtingeret *τὸ* [4]) „*ἄλλοισι μεθ' ἡρώεσσι ἀνάξειν*". Ergo credibile est non Petelinos solum sed etiam Thurinos hoc de poena *παλαιοῦ πένθεος* dogma sibi ascivisse. Versus enim 4 carminis supplicis hoc aperte enuntiare videtur, animum terrestrem vitam in aerumnis degisse et has vitae calamitates tamquam iniuriarum poenas sibi solvendas tulisse. Sed, quamquam haec ita se habent, alia interpretandi via, eaque non minus probabilis patere videtur:

Livius [5]) Duroniam fecit dicentem se pro aegro filio „vovisse ubi primum convaluisset, Bacchis eum se initiaturam; damnatam voti benignitate deum exsolvere id velle. Decem dierum castimonia opus esse; decimo die cenatum, deinde pure lautum in sacrarium deducturam."

Deinde „mater mentionem intulit, quid eo die, quid deinceps ceteris, quae ad sacra pertinerent, faciendum esset." [6]) Meminimus autem in lamina Thurina V scriptum esse (v. 7 seq.):

---

[1]) Vide cap. IV § 2, B.

[2]) Plato, Cratyl. p. 400, c.

[3]) Pindari fragm. in Platonis Menone p. 81, b; cf. supra cap. IV § 2, A.

[4]) Lam. Petelinae v. 11.

[5]) Livius l. 39, c. 9. § 4.

[6]) Livius l. l. c. 11, § 1.

τὰ Μοίρης τλητέα πάντῃ.
μητέρι Πῦρ μέν μ' ἄγε, εἰ νῆστις(?) οἶδ' [ὑπομεῖναι],
ἑπτά τε νῆστιν νυξὶν ἢ μεθ' ἡμέραν(?) ἐλινύεν. [1])

Quas ob causas suspicor mystas Thurinos hoc dicere voluisse, se antequam initiarentur morte mystica, per constitutum dierum noctiumve spatium a terrestribus gaudiis temperasse, ut concubitu aliisque voluptatibus carentes castimonio et ceteris, quae ad sacra pertinerent faciendis *ποινὰν ἔργων οὔτι δικαίων* solverent. Veri simile est certum quoddam temporis spatium ad facinora impia expianda constitutum fuisse mystis Thurinis eorumque ad imitationem idem Bacchis quoque propositum fuisse. Nunc apparet quam egregie illud *εἶτα* initio versus 5 carminis supplicis positum sit: mysta dicit per tempus terminatum ritu solemnissimo se omnia fecisse [2]) quae ad sacra pertinerent, deinde se raptum esse a diis.

Secundum Theonem Smyrnaeum *μυήσεως* sunt *μέρη πέντε* [3])*· τὸ μὲν προηγούμενον καθαρμός... μετὰ δὲ τὴν κάθαρσιν δευτέρα ἐστὶν ἡ τῆς τελετῆς παράδοσις. Τρίτη δὲ ἡ ἐπονομαζομένη ἐποπτεία. Τετάρτη δὲ (ὃ δὴ καὶ τέλος τῆς ἐποπτείας)*

---

[1]) Diels adnotat „der Vers ist verstört. Er konnte lauten: *ἑπτά τε νῆστιν νύκτας ἰδ' ἑπτῆμαρ ἐλινύειν* oder *ἰδ' ἡμέρᾶς(?) ἕπτ' ἐλινύειν.*"

[2]) Cf. supra c V § 5 C. Non solum castimonia sed etiam ieiunia opus et *κυκεῶνα* bibendum fuisse veri simile est; Diels confert Ovid. Metam. X, 3: „septem tamen ille (Orpheus) diebus | squalidus in ripa Cereris sine munere sedit." et Plut. Demosth. 30: *παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες.* (Diels, Fragm. d. Vors. l.l, Festschrift f. Gomperz p. 6 seq.). Ceterum cf. Wissowa, Religion d. Römer p. 301.

[3]) Theo Smyrnaeus, Expositio rerum math. ad legendum Platonem utilium p. 14 seq. Hiller, quocum cf. Olympiod. apud Lobeckium p. 41: *ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦντο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις, εἶτα ἐπὶ ταύταις αἱ ἀπορρητότεραι· μετὰ ταύτας συστάσεις καὶ ἐπὶ ταύταις μυήσεις, ἐν τέλει δ' ἐποπτεῖαι.*

ἀνάδεσις καὶ στεμμάτων ἐπίθεσις.... πέμπτη δὲ ἡ ἐξ αὐτῶν περιγενομένη κατὰ τὸ θεοφιλὲς καὶ θεοῖς συνδίαιτον εὐδαιμονία.

Mystis Thurinis divina consuetudo contigit, cuius gaudia „rapti a diis" expectaverunt quidem supplices Proserpinam orantes:

„mitte beatorum me ad sedes mente benigna"

sed *ἔριφοι* praeripuerunt *ἐριφιήματα* exsecuti; Theonis catalogum cum carmine supplici qui confert facile intellegit Thurinae *μυήσεως* initium *καθαρμόν* et mystam, cuius anima venit *ἐκ καθαρῶν καθαρά*, non solum pium sed etiam expiatum (*κεκαθαρμένον*) fuisse.

Propositum mihi erat de lamina Thurina prima, altera tertia, Proserpinae, Euc(u)li, Euboulei, Eriphi cultus monumentis agere ita ut exponeretur, quinam hi dei fuerint, a quibus hominibus, quo modo in Graecia maiore culti sint.

De deis eorumque cultu fuse egimus, de mystis ipsis disputavimus capite I et demonstravimus quidem eos neque Orphicos neque Aegyptios secutos Pythagoreum literarum sepulcralium morem celebrare perrexisse et optimo iure Pythagoreos nominari posse (vide cap. II § 4), sed accuratius considerandum est quid carminis supplicis et mystici comparatio de iis doceat. Facere autem non possum quin nonnulla de cultu orto et propagato addam.

§ 2. *Versuum laminis inscriptorum origo adumbratur.*

Cum perspicuum sit laminarum discrepantiam ad binos initiorum gradus referendam esse, supervacaneum

esse videtur quaerere utri carmini archetypus antiquior fuerit. Hoc tantum observato, in errore versari qui [1]) contenderint versus laminis inscriptos sumptos esse ex carmine Orphico sive alio, sive cui titulus Ὀρφέως εἰς Ἅιδου κατάβασις. Neque enim carmen, cum in usum sepulcrorum describeretur, sensim corrumpebatur ita ut duo diversa carmina exirent, neque literae sepulcrales ex plenis perfectisque hymnis Orphicis desumptae sunt, sed mysta sive epopta, pro initiorum gradu, literis mandatum voluit testimonium, ex quo appareret quam fidem professus esset cum in terra degeret, qua spe confirmatus infernas leges intraret.

Ergo versus laminis inscripti ad Orpheum non referendi sunt; quod constat quidem, sed difficilior restat quaestio, quo tempore versuum archetypi sint compositi. Exemplaria Thurinis e sepulcris effossa saeculi quarti exeuntis sunt, sed veri simile est Dionysi Ἐρίφου cultum Metapontinum antiquiorem esse. Res autem est valde dubia. Nam, si fides habenda est Xenophilo, Androxeno Diogenique auctoribus, statuendum est ab ipso Pythagora ἔριφον sacrum animal habitum esse; et supra [2]) quidem demonstravimus, mystas Thurinos, cum Pythagoreos ritus sepulcrales celebrare perrexerint et doctrinam de dei Psychopompi Pulaeique munere secuti sint quam Alexander in commentariis Pythagoreis scriptam fuisse contendit, cumque Euc(u)lus et Ἔριφος a Metapontinis culti sint quorum in oppido Pythagoras vixit, a Pythagora nominandos esse, [3]) sed exstatica

[1]) Vide supra, cap. III § 1.

[2]) Vide cap. 1.

[3]) Vide cap. II § 4.

ἐριφισμάτα ad ipsum Pythagoram referre inconcinnum videtur. Philosophissimo enim homini ad vitam contemplativam proniori talia orgia imputare prorsus inauditum est. Recte Maass distinxit[1]) eos qui Dionysum *ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ* ab iis qui Apollinem *μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως* coluerunt. Quam ob causam sumendum est post Pythagorae aetatem *'Ερίφου* cultum Bacchanalium in formam redactum esse.[2])

Iam rogatur quando id sit factum. Meminimus Sophoclis aetate[3]) omnibus notum fuisse deum celebratum *'Ελευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις* etiam trans mare *κλυτὰν 'Ιταλίαν* obtinuisse. In hac autem regione Thurii anno 444 conditi sunt, quo in oppido Bacchum tunc temporis cultum esse Dieterich[4]) ex eo conclusit quod una oppidi pars statim *Διονυσίας* vocitaretur.

---

[1]) Maass, l. l. p. 163-164.

[2]) Credibile autem est Pythagoram ipsum *ἔριφον* animal sacrum habuisse et immolasse. Vide supra cap. V § 5, D et cf. locus quem Septuaginta hunc in modum verterunt: *οὐχ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ* (Exod. c. 23 § 19 = c. 34 § 26 = Deuteron. c. 14 § 21) quem Spencer, de legibus Hebraeorum ritualibus p. 333-342, ita interpretatur ut demonstret: „Deum, hac in lege, Zabiorum ritum aliquem magicum et idiolatricum vetuisse; hoedi immolationem et comestionem ritus illius partem haud exiguam exstitisse; Zabios residua lactis ita cocti parte arbores et agros eorum aspersisse, ad fertitilitatem inducendam; ritum illum praecipue post collectionem frugum usitatum fuisse." Spenceri interpretatio aliis placuit (cf. Oort Het Oude Testament, I p. 194), alii opinantur Spencerum sententiam argumentis non probasse (cf. Reinach, Revue Archéol. XXXIX p. 211-212). Vox hebraica quam LXX verterunt *ἄρνα*, significat *ἔριφον* (bokje).

[3]) Sophocl. Antigon. v. 1115 seq.

[4]) Dieterich, Kl. Schr. p. 91[2]; cf. Photius s. v. *Θουριομάντεις· τὴν εἰς Σύβαριν ἀποικίαν οἱ μὲν Λάμπωνι ἀνατιθέασιν, οἱ δὲ Ξενοκρίτῳ, οἱ δὲ Χαλκιδεῖ Διονυσίῳ, οἱ δὲ καθαρίῳ* (Lobeck, Aglaoph. p. 980 e restituit *Καθάρνῳ*) *τῷ Λάκωνι*. Adde quod a Thurinis *Δημήτηρ Θουρία* (Schol. Lykophr. 153) colebatur.

Scimus autem medio fere saeculo quinto Bakchos Cumanos coemeterium lapidibus terminasse quibus inscriptum fuit:

οὐ θέμις ἐν-
τοῦθα κεῖσθ-
αι (ε)ἰ μὴ τὸν βε-
βακχευμένον.

Quam inscriptionem Comparetti [1]) anno 420 superiorem fecit; ipsa autem vocalium scriptura sat liquide demonstrat hunc lapidem quinto saeculo positum esse. Quodsi in ea regione quam Liberi Cererisque certamen dicebant, quinto saeculo exeunte dei cultus iam ita floruit, ut eius cultores separatum sibi coemeterium tributum voluerint, non est quod negetur eodem tempore thiasotas Italiae inferioris eo devenisse ut versus mysticos secum in sepulcris conditos voluerint. Ergo non est temeraria haec conclusio: versuum laminis inscriptorum archetypos saeculi quinti parte altera compositos esse. Suspicor igitur *Ἐριφιήματα* Thurina eodem tempore ac Thracia, Graeca, Cretica [2]) Bacchanalia, ab Aeschylo in Edonibus, ab Euripide in Bacchis et Cretensibus cantata, celebrata esse. Thiasotae Italiae inferioris Pythagoram horum sacrorum patrem nominasse eundemque Cretae mysteriis initiatum et *λίθῳ κεραυνίῳ* [3]) expiatum esse credidisse videntur. Rohde autem de

---

[1]) Inscriptionem Sogliano, Notiz. d. Scavi, a. 1905, p. 378 seq. et Comparetti (Ausonia I, a. 1906, p. 13 seq. et) „Laminette Orfiche" p. 47—52 ediderunt (vide tabulam phototypicam in Comparettii libro). In lapide est *ἐντοῦθα*; cf. Compar. l.l. p. 48.

[2]) Cf. Strabo, l. X, 468: *τὰ τοῦ Διὸς ἱερὰ ἰδίως ἐπετελεῖτο μετ' ὀργιασμοῦ.*

[3]) Porphyr. V. P. c. 16 (vide supra cap. V § 3).

Porphyrii loco, ubi haec narrantur, recte iudicat: [1]) „Man kann den historischen Gehalt des Berichtes von dieser Höhlenfahrt des Pythagoras dahingestellt sein lassen und wird doch festhalten dürfen, dass die Angaben über das Ritual des Zeuscultes in der Höhle und das übliche Ceremoniell der Höhlenfahrt vollen Glauben verdienen."

Quid igitur rei est? Thurini Dionysum *Ἔριφον*, cuius cultum Lacones olim ad Metapontinos transtulerant, una cum domino Orcino, fulgurum tonitruumque potente, coluerunt ita ut Jovi Fulguri initiati „rapti a diis", mystae e Proserpina renati „*Ἔριφοι*" nuncuparentur. Sic Creta [2]) in insula *Διὸς Ἰδαίου μύστης*, qui noctivagi Zagrei *βροντὰς* perpessus erat, cum per omnia initia iisset, *Βάκχος* appellari gaudebat. Quae Cretensium et Thurinorum mysteriorum similitudo aut casui debetur, aut Jovis-Bacchi cultus originem arguit. Mystae enim Cretensi fulminum tonitruumque terrores subeundi erant, et in Bacchanalibus Thraciis tympanorum cymbalorumque strepitus ad instar *βροντῆς ὑπογαίου* initiandis scrupulum iniciebant; quos Itali aut secuti sunt aut sponte sua in eam mysticam se adduxerunt consuetudinem Thraciis Creticisque moribus simillimam.

Constat autem:

I eos Dionysi *Ἐρίφου* cultum non de suo finxisse sed a Laconibus sibi ascivisse, [3])

II Bacchas Romanas faces ardentes in aquam demisisse

---

[1]) Rohde, Psyche I p. 129/130[3]. Cf. supra cap. IV § 2 A (p. 72).
[2]) Vide supra cap. V, § 3.
[3]) Vide supra cap. II § 4.

ad Argivorum imitationem qui *ἀφιᾶσι δὲ καὶ νῦν ἔτι ἐς τὸν βόθρον καιομένας λαμπάδας Κόρῃ τῇ Δήμητρος,* [1])

III in Elide non solum Iovem *Ὕψιστον* et *Μοιραγέτην* una cum Herme, sed etiam *Δέσποιναν* cultam esse, [2])

IV apud Arcades *Δεσποίνης τελέτην* [3]) fuisse, (cuius in templo *τύπῳ* erant *ἐπειργασμέναι Μοῖραι καὶ Ζεὺς Μοιραγέτης*) a sinistra deae templi parte fuisse *χώραν Κρητέαν καλουμένην.*

Arcades autem contenderunt Jovem educatum esse hoc in loco, non in insula Creta. [4])

Et quisquam credet Thurinos *βροντῶν* initia [5]) de suo finxisse, non a Cretensibus sibi ascivisse?

Addas hoc argumentum, quod aureae laminae in sepulcris non solum Graeciae maioris sed etiam Cretae inventae sunt. Adde alterum quod Petilini et Cretenses eandem fidem de hominum origine, de Terra et Coelo parentibus, de frigida animae sitienti desiderata aqua secuti sunt. Adde tertium quod Euboulos deus, quem Thurini invocarunt, neque Cretensibus ignotus fuit, qui olim Demetris filium hoc nomine ornarunt.

Iam confiteberis in mystas nostros cadere Cretensium illud: [6]) *τὰς περὶ τὰ μυστήρια τελετὰς ἐκ Κρήτης εἰς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους παραδεδόσθαι.* Ergo Creticorum et Italicorum mysteriorum similitudo non casui debetur sed Thurini Iovis Dionysique cultus originem indicat. Thurini Cretenses secuti initiandum, antequam Bacchus exiret,

---

[1]) Pausan. II, 22,3. Cf. supra p. 138[4].

[2]) Pausan. V, 15.

[3]) Pausan. VIII, 37.

[4]) Pausan. VIII, 38: καὶ τὴν Κρήτην, ἔνθα ὁ Κρητῶν ἔχει λόγος τραφῆναι Δία, τὸ χώριον τοῦτο εἶναι καὶ οὐ τὴν νῆσον ἀμφισβητοῦσιν οἱ Ἀρκάδες.

[5]) Vide Supra cap. V § 3.

[6]) Diodorus, V, 77.

Iovis βροντὰς τελέσαι voluerunt, Laconum ad imitationem mystas e Proserpina renatos ἐρίφους nomine sacro nuncupaverunt.

Quas ob causas opinor meam de Cretica mysteriorum Thurinorum origine hypothesin omnes in se habere numeros veritatis; concludimus igitur Cretica domini Orcini Dionysique orgia ad Lacones παραδεδόσθαι, eademque multis mutatis, aliis omissis, aliis additis, a Doribus in Graeciam maiorem translata esse.

Haec sacra Metapontini et Thurini qui Pythagoreum literarum sepulcralium morem[1]) celebraverunt sibi asciverunt. Sodales igitur qui Pythagorei audire maluerunt, ἐκστάσιας ψυχᾶς minime fugerunt, sed a Pythagora degeneres ἐριφιήματα celebraverunt. Quae orgia Bacchica potius quam Orphica nominem. Herodotum[2]) enim secutus τὰ 'Ορφικά quidem Βακχικά fuisse sed omnia Βακχικά non ad Orpheum referenda esse credo, distinguo[3]) Laconum cultum qui deum sub specie ἐρίφου coluerunt ab Orphicis Εἰραφιώτου sacris, quem Zeus μηρῷ ἐγκατέρραψε, opinor alium ἄνακτα castum Hippolytum[4]), alium Lacones ἐριφιήματα exsecutos habuisse.

Quidquod thiasotae Italiae inferioris silentio praetermiserunt Semelae nomen, cuius filio[5]) τὰ 'Ορφέως μυστήρια ἐτελεῖτο (Lydus de mensibus, IV c. 38 p. 82).

[1]) De more hoc cf. quae scripsi supra cap. I et de praeceptis Pythagoreis supra cap. IV § 2 A, cap. V § 2 A et § 3.

[2]) De Herodoti sententia egi cap. I § 1.

[3]) Vide supra cap. II § 4. Wieseler (l.l. p. 702[1]) 'Ερίφιον interpretatur *Bocksgott*, Εἰραφιώτην *Widdergott*.

[4]) Cf. Euripid. Hippol. v. 826.

[5]) Cf. Cic. De Natura Deorum, III, 23: „Dionysos multos habemus. primum Jove et Proserpina natum, secundum Nilo qui Nysan dicitur interemisse, tertium Cabiro patre, eumque regem Asiae

Concludimus igitur *κοινόβια* Pythagorea Bacchicorum thiasorum specie perdurasse. Dieterich haec sodalicia „Orphica Pythagorea" dixit, Maass his sodalibus nihil cum Pythagoreis commune fuisse credit et thiasos a Dionyso nuncupavit, equidem neque in carmine supplici neque in c. mystico quidquam inveni[1]) quod potius ad Orpheum quam ad Bacchum referam et demonstrare conatus sum sodales Pythagoreos Bacchis initiatos non solum a Pythagora sed etiam a Baccho nominandos esse.[2])

§ 3. *De deorum Thurinorum cultu propagato.*

Mysteria Thurina sensim per Italiam propagata Orphicorum in modum mutata esse videntur.

Livius[3]) enim rettulit Pacullam Anniam, Campanam

---

praefuisse dicunt, cui Sabazia sunt instituta, quartum Jove et Luna, cui sacra Orphica putantur confici, quintum Niso natum et Thyone, a quo Trieterides constitutae putantur". Neque Cicero neque Lydus sacra Orphica ad deum Proserpina natum referunt, quem praecipue thiasotae Italiae inferioris coluerunt.

[1]) Credibile autem est in Graecia maiore non solum Pythagoreos Bacchis initiatos esse sed etiam sectam Orphicam fuisse; nescio an in aliis laminis (lam. Thur. quarta, quinta et lam. Petelina) nonnulla Orphica legantur. Cf. Kern, Orphischer Totenkult (Aus der Anomia p. 87-95).

[2]) Orgia quae Tarentini a. 282 a. Chr. celebraverunt Dio Cassius Διονόσια nuncupavit (fr. 39, 4). [Cf. Hesych.: Δάμεια ἑορτὴ παρὰ Ταρεντίνοις; Damiae (Δαμία, Δαμώ = Δημήτηρ; cf. Diels, Sibyll. Blätter p. 45[2]) sacra circa annum 272 a. Chr. Romam translata esse videntur; cf. Wissowa, Rel. d. Römer[2] p. 216-217]. Cf. Gruppe, Griech. Myth. p. 361[2].

Consules a. 186 locutionibus „Bacas adiese" (Bacchas adire) et „Bacanal habere", Livius locutionibus „Bacchis initiari" et „Baccharum habitu" usi sunt.

[3]) Liv. l. 39, c. 13 § 9.

sacerdotem „pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse"; quae menstrua initia ad Orpheotelestas [1]) non referre difficile est, qui *κατὰ μῆνα* homines superstitiosos expiare solebant. Quod apparet e Theophrasti Charact. Eth. XVI (de Superstitione): *τὸν δεισιδαίμονα . . . τελεσθησόμενον πρὸς τοὺς Ὀρφεοτελεστὰς κατὰ μῆνα πορεύεσθαι μετὰ τῆς γυναικός· ἐὰν δὲ μὴ σχολάζῃ γυνὴ μετὰ τῆς τίτθης καὶ τῶν παιδίων.*

Quae Bacchanalium mutatio si re vera Orphicorum appulsui debetur, facile intellegitur quam ob causam Bacchanalia tunc temporis celebrata sint in luco Stimulae [2]) et cur Caecilia Secundina Inferorum reginam, nuntium, regem precata deinde

ἔχω δε

Μνημοσύνης τόδε δῶρον ἀοίδιμον ἀνθρώποισιν

---

[1]) Secundum Livium (l.l. c. 8 § 3 et 4) Graecus ignobilis Bacchanalia in Etruriam transtulit „nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens invexit, sacrificulus et vates, nec is, qui aperte religione, propalam et quaestum et disciplinam profitendo, animos errore imbueret, sed occultorum et nocturnorum antistes sacrorum". Quem Orpheotelestam fuisse Müller (in commentario ad l. l.) recte coniecit.

[2]) Liv. l. l. c. 12 § 4: „Expromeret (Hispala) sibi (consuli) quae in luco *Stimulae* Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri". Consul apud Livium l. l. c. 15 § 3 quirites admonuit deos non esse „qui pravis et externis religionibus captas mentes velut furialibus *stimulis* ad omne scelus et ad omnem libidinem agerent". (Cap. 12 § 4 codices habent *Simulae* et *Similae*, I. F. Gronovius restituit *Stimulae*; cf. adnotatio critica Mülleri ad locum) Ovidius scripsit, Fast VI, 503:

„lucus erat dubium Semelae Stimulaeve vocetur".

Bacchanalia igitur celebrata sunt in luco deae, cuius filio *τὰ Ὀρφέως μυστήρια ἐτελεῖτο* (cf. supra § 2).

addiderit [1]). Femina, quae literas aureae laminae incisas tanti fecit, Ὀρφέα ἄνακτα [2]) habuisse videtur πολλῶν γραμμάτων τιμῶσα καπνούς. [3]) Adde quod Caecilia Secundina nomen suum non reticuit; videmus eam Thurinos mystas non secutam esse, qui nomen suum deponere solebant ἐξ οὗπερ ὡσιώθησαν [4]). Quod discrimen eidem appulsui deberi videtur.

Caecilia autem cui assonuit illud [5]): νόμῳ ἴθι δῖα γεγῶσα legem quamdam servavit, sive credidit aditum ad Elysium certa lege chthonia constitutum esse, sive ea quae ad sacra pertinerent νόμῳ facienda esse ei erat persuasum. Diels coniecit [6]) laminae Romanae auctorem νόμον χθόνιον voluisse, mihi probabilius videtur Caeciliam in mysteriis ad ἀποθέωσιν pervenisse postquam τὰ δρώμενα exsecuta esset νόμῳ. Quam ob causam conicio una hac voce hierophantam totam illam caerimoniarum seriem carmine mystico fuse enarratam complexum esse.

§ 4. *Epilogus de pastorum Euc(u)li cultorum coniuratione.*

Iam finem huic disputationi imponere volo; ordine enim enarravi qui dei, quo modo, a quibus hominibus in mysteriis Thurinis culti sint. Tamen pauca quaedam addere libet de dei [7]) q. e. Euc(u)lus Italorum cultu.

Livius rettulit quo modo senatus Romanus complures

[1]) Lam. Romanae v. 3 seq.; cf. supra cap. IV § 1.

[2]) Cf. Euripid. Hippol. v. 826.

[3]) Diels, Ein Orphischer Totenpass, p. 45. Cf. Vürtheim. l.l. p. 92[1].

[4]) Cf. supra cap. III § 3 D.

[5]) Lam. Rom. v. 5.

[6]) Diels, Ein. Orph. Totenp. p. 48. Cf. Dörfler, Wiener Studien, XXXI, 2 p. 177—212.

[7]) De deo egi cap. II § 3.

per annos[1]) in Bacchanalia animadverterit et narravit consules una cum Bacchis etiam pastorum coniurationes vindicasse; anno 184 „L. Postumius[2]) praetor, cui Tarentum provincia evenerat, magnas pastorum coniurationes vindicavit et reliquias Bacchanalium quaestionis cum cura exsecutus est. Multos, qui aut citati non adfuerant aut vades deseruerant, in ea regione Italiae latentes partim noxios iudicavit, partim comprehensos Romam ad senatum misit." Idem autem anno superiore[3]) (a. 185) „de pastorum coniuratione, qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant, quaestionem severe exercuit. Ad septem milia hominum[4]) trucidavit; multi inde fugerunt, de multis sumptum est supplicium." Pastorum igitur coniuratio et Bacchanalium[5]) „nefanda coniuratio" in idem tempus inciderunt.

Sed quid Bacchis cum pastoribus? Dieterich observavit l.l. pro *reliquias B. quaestionis* in uno codice legi[6]) *reliquas B. quaestiones* et haec fere scripsit[7]): „nonne paene cogimur pastorum coniurationes ad eandem rem

---

[1]) Inde ab anno 186 (cf. Liv. l. 39 c. 8 seq.) usque ad annum 181 (Liv. l. 40, c. 19 § 9). Anno 181: „L. Duronio praetori, cui provincia Apulia evenerat, adiecta de Bacchanalibus quaestio est, cuius residua quaedam velut semina ex prioribus malis iam priore anno apparuerant; sed magis inchoatae apud L. Pupium praetorem quaestiones erant quam ad exitum ullum perductae. Id persecare novum praetorem, ne serperet iterum latius, patres iusserunt".

[2]) Liv. l. 39, c. 41 § 6; cf. l.l. c. 14-20.

[3]) Liv. l. 39, c. 29 § 9.

[4]) Livius l.l. c. 17 § 6 de Bacchis scripsit: „coniurasse supra septem milia virorum ac mulierum dicebantur".

[5]) Liv. l.l. c. 18 § 3, cf. c. 17 § 6, c. 8 § 1 et 3.

[6]) Zingerle in editione maiore a. 1894 hanc lectionem non exhibet.

[7]) Dieterich, Kl. Schr., p. 99.

referre et putare Livium vel eum, e cuius libro descripsit — nam fortasse et haec verba sicut antecedentia e Valerii Antiatis fallacibus thesauris desumpta sunt — e graeco vertisse, ubi tradebatur de βουκόλοις [1]), sed aut ipsum non recte intellexisse aut certe librarios? Res tamen non plane certa est: iam cap. 29 de L. Postumio et pastorum coniuratione traditur; sed fortasse ea omnia quae plane eadem esse videntur ac quae c. 41 traduntur, perversa sunt. Potuere a scriptoribus posterioris aetatis Romanis genuini pastores de quibus c. 29 dictum est et βουκόλοι, de quibus c. 41, commisceri et fortasse ideo Livius eandem rem bis narrare videtur, quod certe non fecit auctor primus, quoniam illic nil de Bacchanalibus hic nil de veris pastoribus et latronibus adscripsit." Mystas igitur Italiae inferioris „bubulcos Orphicos" fuisse et historicos sacrorum nominum ignaros eos pro genuinis pastoribus habuisse Dietericho persuasum erat. Sed haec commenta magis ingeniosa quam vera sunt. Orphicis sacris initiati βουκόλοι et ἀρχιβουκόλοι et βοῦς nuncupati sint licet, perspicuum est initio saeculi secundi genuinos pastores coniurasse, neque difficile dictu est quam ob causam tunc temporis motus ille servilis [2]) fuerit. Senatus enim Bacchanalia cum coercuit

[1]) Dieterich l.l. nos relegat ad versum, quem Clemens (Protrept. II, 16) servavit „cuius verba corrupta esse videntur, sensus tamen non prorsus latet: ἐν ὄρει τὸ κρύφιον βουκόλος τὸ κεντρον (κέντριον?)" et cf. Arnob., adv. nat. V, 21: „Tarentinum notumque senarium quem antiquitas canit ita legimus »taurus draconem genuit et taurum draco«." Cf. quae D. scripsit de „Bubulcis" Orphicis. (De Hymnis Orphicis, I p. 3-13 = Kleine Schriften p. 70-78; Mithraslit. p. 215 et 155).

[2]) Liv. l. 39, c. 29 § 8: „Magnus motus servilis eo anno (a. 185) in Apulia fuit".

deorum et aliorum et Euc(u)li cultum suppressit. Hunc autem deum non mystae solum tamquam animarum piarum ταμίαν coluerunt, sed etiam pastores Itali venerati sunt. Quod apparet vel ex eo quod Osci eum in Floralium numero posuerunt [1]) et ei una cum Praestite cereali, [2]) Matre cereali et Flora cereali sacra fecerunt, neque minus luculenter epigramma testatur hoc: [3])

Εὔκολος Ἑρμείας, ὦ ποίμενες, ἐν δὲ γάλακτι
χαίρων καὶ δρυΐνῳ σπενδομένοις μέλιτι. κ. τ. λ.

Cuius origo ignota quidem est, sed Graeciae maioris incolis tribuenda esse videtur, propterea quod antiquitus non nisi a Metapontinis Hermes nomine quod est *Εὔκολος* ornatus est.

Nunc patet quid rei Bacchis cum pastoribus fuerit. Quos enim Livius vult, non *βουκόλοι* Orphici fuerunt, sed *ποιμένες* Euc(u)li, dei pastoralis cultores, quorum sacra a magistratibus Romanis prohibita sunt. Senatui enim consulibusque „multa milia hominum" [4]) qui haec sacra celebraverunt metum iniecisse videntur et cave-

---

[1]) Vide caput II, § 3.

[2]) Zuetaieff dativum *Pernaí* vertit *Praestiti*, Mommsen *Pali;* cf. Prestota, Umbrorum dea (Buecheler, Umbrica p. 98).

[3]) Anthol. Palat. IX, 72.

[4]) Consul apud Liv. l.l. c. 15 § 8 dicit: „quod ad multitudinem attinet, si dixero, multa milia hominum esse, necesse est exterreamini, nisi adiunxero, qui qualesque sunt". Cf. Livii de Bacchis testimonium l.l. c. 17 § 6: „coniurasse supra septem milia virorum ac mulierum dicebantur"; idem autem rettulit (l.l. c. 29 § 9) Postumium praetorem a. 185 ad septem milia hominum trucidavisse. Intellegimus igitur septem certe milia mystarum et pastorum fuisse. Fortasse plus quam septem milia fuerunt. Q. Naevius enim anno 184 „si Antiati Valerio credere libet, ad duo milia hominum damnavit", (Liv. l. 39 c. 41 § 6).

runt ne quid detrimenti caperet res publica. [1]) Inde illa Senatus severitas quam Firmicus Maternus [2]) laudavit hunc in modum: „O priscae virtutis laudanda constantia! nec civibus suis consul parcere voluit, cum ob purgandam patriam peregrina vitia corriguntur". Senatus igitur consulesque „peregrina vitia" corrigenda curaverunt.

Quod Reinach bene perspexit, qui scripsit: [3]) „La persécution acharnée dirigée contre les Bacchanales fut purement politique... Ce ne fut pas le salut des moeurs romaines, mais la ruine de l'hellénisme en Italie". Sed minus recte idem: „Ce n'étaient pas les cultes étrangers qui effrayent le Senat, puisqu' il avait lui-même introduit à Rome, peu de temps avant l'affaire des Bacchanales, le culte asiatique de la Mère des Dieux". Nam Mater Idaea anno 204 hospitaliter accepta est [4]), cum Romani crederent [5]) hostem pelli Italia vincique non posse, si Mater Idaea a Pessinunte Romam non advecta foret. Senatus autem abhorruit ab omnibus

---

[1]) Liv. l.l. c. 15 § 3: „adhuc privatis noxiis, quia nondum ad rem publicam opprimendam satis virium est, coniuratio sese impia tenet. Crescit et serpit quotidie malum. Iam maius est, quam ut capere id privata fortuna possit, ad summam rem publicam spectat".

[2]) Firm. Mat., de errore prof. rel. 6.

[3]) Reinach, Revue Archéol. XI, p. 252; cf. Matthaeus Aegyptius, Senatus Consultum de Bacchanalibus, (a. 1729) p. 147 et C. van Bynkershoek, De cultu religionis peregrinae apud veteres Romanos, (a. 1761) I p. 343-357.

[4]) Liv. l. 29 c. 10-14.

[5]) Liv. l. 29 c. 10: „Civitatem eo tempore recens religio invaserat invento carmine in libris Sibyllinis propter crebrius eo anno de coelo lapidatum inspectis, quandoque hostis alienigena terrae Italiae bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si Mater Idaea

cultibus orgiasticis, ideoque cum orientalia tum Graeca orgia moderari [1]) conatus est. Cum Matris Magnae sacra opprimere non posset, eo severius animadvertit in Bacchanalia; quae ad summam rem publicam spectare credidit. Quas ob causas neque mystis aliis neque pastoribus deos Graecos permisit colere precarique pietate privata. [2])

---

a Pessinunte Romam advecta foret". Cf. Mommsen, Römische Geschichte, I[6], p. 865: „Zu der (Aufnahme der phrygischen Göttermutter) die Regierung während der letzten bangen Jahre des hannibalischen Krieges sich hatte verstehen müssen". Cf. Wissowa, Rel. und Kultus der Römer[2], p. 318 et Rappii commentatio in Roscheri lexico s. v. Kybele p. 1666 seq.

[1]) De Matris Magnae sacris moderandis vide Dion. Hal. II, 19,4 et cf. Wissowa l.l. p. 64.

[2]) Quamquam septem milia hominum trucidata sunt, Bacchanalia omnia non sublata sunt, sed senatus his sacris praetorem urbanum curatorem praefecit; Livius senatus consultum, quo „cautum est, ne qua Bacchanalia Romae neve in Italia essent" rettulit hunc in modum (l. 39 c. 18 § 8): „si quis tale sacrum solemne et necessarium duceret nec sine religione et piaculo se id omittere posse apud praetorem urbanum profiteretur, praetor senatum consuleret; si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent, neu qua pecunia communis neu quis magister sacrorum aut sacerdos esset". Cf. consulum ad Teuranos epistola, in qua eadem praecepta fusius enarrata sunt. Tertullianus scripsit, Apolog. c. 6: „Liberum patrem cum mysteriis consules senatus auctoritate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt". Senatus eliminare sacra voluit quidem sed non potuit; quod Livii locus laudatus et consulum ad Teuranos epistola demonstrant.

THESES.

I.

In lamina Thurina I. G. XIV 641, 2 est

l. 5. *ΔΙΚΑ ΩΝ*
l. 6. *ΕΙΤΕΜΕ ΜΟΡΑ ΕΔΑΜΑΣᾺΙΟΝ*
l. 7. *ΕΙΤΕ ΑΣΤΕΡΟΠΗΤΙ ΚΡΑΥΝΩ*

legatur: *ΔΙΚΑΙΩΝ·*
ΕΙΤ ΕΜΕ ΜΟΙΡΑ ΕΔΑΜΑΣΣΕ
ΣΥΝ ΑΣΤΕΡΟΠΗΤΙ ΚΕΡΑΥΝΩΙ.

II.

Formula *Ἔριφος ἐς γάλα ἔπετον* hac paraphrasi vertatur: „Bacchabundus ad Dionysi dona me proripui."

III.

Carminum I. G. XIV 641, 1 et 641, 2 discrepantia ad binos initiorum gradus referenda est.

IV.

Mystae Graeciae maioris nomine q. e. *Εὐβουλεύς* (I. G. XIV 1, 2, 3 v. 2) invocaverunt dominum Orcinum.

V.

Mystae Graeciae maioris nomine q. e. *Εὐκλῆς* invocaverunt animarum *ταμίαν*.

VI.

Lucianus satyram „de morte Peregrini" scripsit ut data opera in Peregrinum inveheretur, Christianos obiter perstringeret.

VII.

Soph. Trach. versus 170/171.

> ... *τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε*
> *Δωδῶνι δισσῶν ἐκ πελειάδων ἔφη*

ita interpretandi sunt, ut poeta mulieres genuinas (quas antiquitas *πελειάδας* nuncupavit) *τὴν τῆς παλαιᾶς φηγοῦ αὐδήν* explanantes fecerit.

(Cf. Ed. VI quam curaverunt Schneidewin-Nauck, ad loc.).

VIII.

Quae Lucianus „de morte Peregrini" scripsit et ea quae Tatianus de Proteo rettulit (Oratio ad Graecos c. 25) minime inter se contradicunt.

IX.

Eurip. Helen. v. 711:

ὦ θύγατερ, ὁ θεὸς ὡς ἔφυ τι ποικίλον

ne emendetur (cum Nauckio in annotatione critica editionis tertiae) e Stobaeo, Ecl. Phys. I, 7, 6:

σκέψαι γάρ, ὁ θεὸς ὡς ἔχει τι ποικίλον.

X.

Eurip. Helen. v. 754/755:

χρὴ . . . μαντείας δ' ἐᾶν·
βίου γὰρ ἄλλως δέλεαρ ηὑρέθη τόδε.

pro βίου legatur θεοῦ.

XI.

Aristoph. Vesp. v. 1481:

τὸν νοῦν διορχησάμενος ὀλίγον ὕστερον

(τὸν νοῦν codices] τοὺς νῦν Bentley — διορχησάμενος V R] -σόμενος alii) legatur:

τὸ νῦν δι' ὀργῆς, ἀμνὸς ὀλίγον ὕστερον.

XII.

Iniuria Blass Kirchhoffio astipulatus (in Eumenidum fabulae Aeschyleae editione) Eumen. v. 85-87 transposuit post v. 63.

XIII.

Cassii Heminae fragmentum Annalium l. IV „ex Tiberi lacte haurire" (Non. s. v. lacte p. 483; Peter, Fr. H. R. 36) ita interpretandum est ut historicus Bacchas ex Tiberi lac haurientes fecerit.

XIV.

Juvenalis, a quo in miraculis positus est (Sat. XIII v. 69/70):

amnis
gurgitibus miris et lactis vertice torrens,

ad Baccheia allusisse mihi videtur.

XV.

Tacit. Ann. III, 55 „postquam caedibus saevitum et magnitudo famae exitio erat *ceteri* ad sapientiora convertere"

pro *ceteri* legatur *seri*.

XVI.

Tacit. Hist. III, 22 „ordinem agminis dispersi per *iram* et tenebras adseverare non ausim"

pro *iram* legatur *viam*.

XVII.

Prave Maass negavit Livium (L. 39, c. 10 § 2 Bacchis initiari) verbum *initiare* cum dativo construxisse.

XVIII.

Minuc. Fel. Octav. c. XXII § 6:
„Quanta vero de diis vestris animalia muta naturaliter iudicant!"
pro *Quanta vero* leg. *Quam autem vere.*

XIX.

Propert. III 21 v. 14:
„iam liquidum nautis aura secundat iter"
pro *nautis* leg. *nobis.*

XX.

Senec. De Ira, I, VII, 3:
„Commota enim semel et excussa mens ei servit quo impellitur" (ei servit] A — eis eruit] L — Windhaus: eo ruit)
leg. *„eis servit ruitque quo impellitur."*

XXI.

Literis *ΛΘΜΟΙ* quas trutinae adscriptas videmus in lance, in qua silphium coram Arkesilao penditur, praeponantur literae *ΣΤ*, literae *Λ* ductus derectus restituatur, legatur *ΣΤΛΘΜΟΙ.*

XXII.

Quae Caesar (De B. G. VI, 16, 5) de innocentium suppliciis scripsit, fide historica sunt indigna.

XXIII.

Pastores quorum coniurationes L. Postumius praetor a. 184 vindicavit genuini *ποιμένες* fuerunt (cf. Liv. 39, 41, 6/7 et c. 29, 8/9).

XXIV.

Etrusca arca cineraria in museo antiquario Lugd. Bat. n^0. 399 Ulixem, quem

σῦς ἤλασε λευκῷ ὀδόντι
Παρνησόνδ' ἐλθόντα μετ' Αὐτόλυκόν τε καὶ υἷας

exhibet (Hom. Od. XIX 393 seq.).

XXV.

Aliud de animarum migratione Aegyptiis placuit, aliud Pythagoreis hac de re fuit persuasum.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 14[1] *add.*: Cf. Rohde, Psyche II, 391[1].

p. 41 l. 18: *ποδῖ legatur ποδὶ.*

p. 42 l. 24: *ἐκκατέραψας legatur ἐγκατέραψας.*

p. 45 l. 8: Crotona *legatur* Crotone.

p. 82 l. 1: carminis C *legatur* carminis B.

p. 82 l. 3: *ΧΟΝΩΒΑ legatur ΧΘΝΩΙΒΑ.*

p. 82 l. 5: *χονωβα legatur χθνωιβα.*

p. 82 l. 7: c. B *legatur* c. C.

p. 98[2]: Die Darstellung d. U. a. unteritalienischen *legatur* Die Darstellungen d. U. a. unteritalischen.

CONSPECTUS LIBRI.

Wieten, Jan Hermannus
De tribus laminis aureis quae in sepulcris Thurinis sunt inventae